

*O. M.  
Tractatus  
juridicus  
De eo quod  
Cinca de  
mortuos  
... juris  
est.*

**Ka**  
6048<sup>a</sup>







10  
20  
In Nomine JESU,

E. 17. num. 2.

# TRACTATIO JURIDICA,

DE EO,

QUOD CIRCA DEMORTUOS, EORUN-  
DEMQUE SEPULTURAM JURIS EST, QUO-  
RUMQUE CADAVERA PRORSUS OMNI SEPULTURA  
PRIVANTUR.

Ex genuinis Legum Fontibus,

nec non

Autoribus in Praxi probatissimis collecta atque  
conscripta

a

JOHANNE FRIDERICO ORTH,

Heilbronnenfi.

Anno Christi MDCCLXI.




STANNIS ALLINGERIANIS.

19. 3. 06.







Ad Benevolum Lectorem.

Varia quidem in hac ipsa TRACTATIONE JURIDICA, eiusque §. XXV. de Epitaphiis, ex Autoribus ibidem allegatis, collegi: cum autem in mortem inopinatam *Illustris & Generosissimi Domini LUDOVICI FRIDERICI, Liberi Baronis GOELERI de Ravensburg &c.* ante hos fere tres annos Epitaphium quoddam composuerim; illud, lectu forsitan non iniucundum, huic Tractationi meae, *Præfationis* quasi loco, anteponere constitui.

Vita nostra,  
Dum vivimus, Miseriarum plena: perpetuis involuta  
Laboribus!

Ast,  
Quamprimum corpore liberati misero;  
Spiritus, miseriarum expers, sempiterna Quietē fruitur,  
Inconcuſſa Conſtantia iubilat.  
Veritates, de quibus certiffimi poſſunt eſſe  
Ad Immortalitatem creati omnes  
Ab Uno, & eodem Creatore Immortali,  
Immeaſo Numine Divino.

Proin,  
Viator adſtans! perpende,  
Hanc, dum viveret, Periodum egiffe, Virum,

*Illuſtrem & Generoſiſſimum, Dominum,*

DOMINUM  
LUDOVICUM FRIDERICUM  
GOELERUM,

Liberum Baronem de Ravensburg, Sulſfeld,  
Obernhelffenberg, Reliqua:

Potentiffimi & Sereniſſimi  
Domini Electoris Palatini

*Magnum Satrapam Simmerenſem.*

*Natus eſt*

*Die XXI. Sept. A. C. MDCCVII.*

Et quidem  
Stemmata, ex Utroque Parente Perilluſtri, Generoſiſſimo,  
Magnorum Atavorum maiori adhuc numero

Sat inſigni.

Verax, feliciffimæ Nativitatis, Encomium!

Interim,

Miseriarum plenus primus noſter in Vitam Ingreſſus!

Multo



Multo Onere, ante Partum inclusi:  
Innumeris, cum Matribus, Periculis erepti:  
Primam tandem adspicimus Lucem,  
Non tamen,

Nisi flendo, ejulando!  
Crescentibus Annis crescit Miseria!  
Patrum venerandorum Institutio:  
Matrum, in nobis educandis Cura:  
Omnis, in rite efformandis Studiis nostris Diligentia,  
Ab aliis quoque impenditur:  
Nullis parcitur Sumtibus.

Gaudent etiam Parentes de Successu felici.  
Gratulantur Moderatores de Profectibus,  
Deque Laboribus, quos impendere, feliciter cessis.

Ast!

Miseriarum tamen plena hæc Temporum nostrorum Tempora,  
Quæ Florem fere omnem nostræ consumunt Aetatis,  
Desiderant enim mentem in omnibus attentam:  
Studium indefessum:

Et,

Ad mores nostros componendos,  
Herculeum,  
Eumque nec ab omnibus, nec omni Tempore, suscipiendum  
Laborem.

Laboribus ergo perpetuis involuta misera Mortalium Vita!

Continuo Labore Spiritus nostri,  
Experientia Magistra, excitantur:  
Nullo, nec diurno, nec nocturno Tempore,  
Quantumvis etiam laboratum fuerit,  
Contenti.

Nocturno, præsertim, Miseri, vexamur,  
Quid præteriti Diei Laborum sit reliqui,  
Quid agendum sequenti.

Nescii,  
Annon festino impediatur Labore?  
Omnibus quam maxime necessario,  
Lege nimirum omnibus necessaria,  
Morte communi:

Universali:  
Quam multi, sæpe autem inepte, vocant,  
Illud tremendum,

Quod

Quod maxime tremendum sit!  
Optimam Philosophiam iam olim dixit,  
Plato, Ethnicorum Magister insignis,  
Meditationem Mortis.

Non vereor egomet dicere,  
Christianam esse Prudentiam,  
Hanc ipsam Meditationem,  
Omnibus, qui Nomen hoc profitentur,  
Ex ipsis Sacris Paginis non fatis inculcandam.  
Nam, profecto!

Cum diligenti, vigilantique Studio meditamur Mortem,  
Nos ubivis insequentem, concomitantem;  
Vitam meditabimur miseram:

Præterita, quæ male à nobis acta, dolebimus:  
Præsentia caute mercabimur:  
Cavebimus in futurum.

Quid inde, Viator, mercabimur?  
Vita misera, per Baptismum in Christum felicissima,  
Et

Regenerationem Spiritus Sancti sanctificata,  
Eo nos, nervosque & Labores nostros omnes,  
Certe, omnino, commovebit,  
Ut

Unicum Laborem Omnes agamus.  
Quo,

Vita temporali peracta,  
Spiritus noster sempiterna Quiete frui,  
Et Constantia iubilare possit inconcussa!  
Faxit DEUS, Omnibus felicissime!  
Et sic etiam Tibi, qui nunc discedis,  
Meditabunde Viator!

Quum in fine legeris:

*Defunctum, Die XXII. Decemb. A. C. MDCCLVII.*  
Apoplexia correptum, unico momento vita defunctum!  
*Vixit Annos L. Menses III.*

Mors mala Res non est, sed Sanctis Ostia pandit  
Alterius Vitæ, quæ sine fine bona est.



In Nomine JESU!

# TRACTATIO JURIDICA,

DE EO,

Quod circa Demortuos, eorundemque Sepulturam  
Juris est, quorumque Cadavera prorsus omni  
Sepultura privantur.

## CONSPECTUS TRACTATIONIS SUMMARIUS.

§. I.

Ob transgressam legem æternam omnes  
homines morti naturali subjacent.  
Solutus Enochus & Eliás mortem non  
gustarunt. Ipse tamen Salvator  
Optimus pro criminibus nostris.

§. II.

Examinatur quæstio: Quam diu ab-  
sentes de Jure vivere præsumantur?  
Plurimi statuunt, præsumi homi-  
nem Centum annos vivere, legibus  
quibusdam seducti. Hoc refellitur,  
& rectius affirmatur, absentem  
LXX. annos vivere præsumi. Quis-  
nam huius præsumtionis effectus sit  
civilis.

§. III.

Cadavera demortuorum terre sunt

mandanda. Rejicitur mos Gentilis.  
Variis argumentis, itemque texti-  
bus divinis, & uno Juridico com-  
probatur, quod modus humandi  
Cadavera longe sit religiosior.

§. IV.

Ad quos hæc cura pertineat, ut Ca-  
davera sepeliantur.

§. V.

Brevibus indicatur, agi in hac Tra-  
ctatione tam de illis, qui variis mo-  
dis sepeliuntur, quam quorum Ca-  
davera relinquuntur insepulta.

§. VI.

1. Generale: Cadaveri prospiciendum  
esse de loco sepulture, sive Sepulcro.  
Nullo modo sepultura debet impedi-  
vi, & quare. Impedientium pena.  
Variæ sepulcri denominationes.

A

§. VII.

§. VII.

*Quenam sepulcra Romani habuerint, & quomodo dividebantur. Extra urbem consitui debuerunt sub pœna, quæ postmodum remissa. Apud nos Cœmeteria sunt in usu.*

§. VIII.

*Pontificii Cœmeteria & sepulturas rebus annumerant religiosis. In sepulturis varios ritus adhibent liturgicos. Sepulturam concedunt gratis, & eandem quoque in Ecclesiis permittunt, cuius rei origo ad Martyres refertur. Sed postea in Ecclesiis & illi sepeliebantur, qui pessimam egerunt vitam, idque ob supersticiosas rationes, quæ recensentur & refelluntur.*

§. IX.

*Sanior quidem est Protestantium doctrina de sepulturis & Cœmeteriis: varias tamen Conclusiones, reprobatis principiis Pontificii Juris, retinuerunt, maxime, dum circa Jus Sacrorum duplicem Imperanti personam attribuerunt.*

§. X.

*Ratio genuina ex primis fontibus adducitur, cur Principes, & Status Protestantes uno nomine Iudices Seculares appellentur, altero vero Ecclesiastici.*

§. XI.

*II. Generale: honesta sepultura solennis nemini regulariter deneganda. Quid heic loci sub nomine sepulturæ solennis veniat.*

§. XII.

*III. Generale: sepulcrorum profunditas pro ratione Cadaverum debet esse proportionata.*

§. XIII.

*IV. Generale: Cadavera nimis cito non sunt efferenda. Huius rei ratio affertur. Tres cum primis morborum species recensentur, unde quis mortuo similis apparere possit, cum tamen anima in eo delitescat, adque vivat, licet non quoad nostri sensus Iudicium.*

§. XIV.

*Varia hæc de re afferuntur exempla.*

§. XV.

*Continuatur hæc materia plurimum exemplorum recensione.*

§. XVI.

*Exemplum Imp. Zenonis, & Job. Dunscoți, qui vivi sepulti fuerunt, & miserrime perierunt. Pia de iisdem annotatio.*

§. XVII.

*Quædam exempla de feminis.*

§. XVIII.

*Inter morbos distinguunt Domini Medici quamdiu anima in homine delitescere possit. Allegantur aliquot exempla. Admonitio ad Imperantes. Patriæ Leges deprædicantur.*

§. XIX.

*Nec in peste sepultura demortuorum acceleranda, & quare. Exempla eorum, qui pestis tempore pro mortuis elati fuerunt.*

§. XX.

§. XX.

V. Generale: demortuos esse lugendos. Quinam modus lugendi improbetur, & qui viros deceat Christianos. Quanto tempore Viri Uxores lugere, & à secundis nuptiis abstinere debeant de Jure Patrio. Ratio huius prohibitionis. Quamdiu Uxores maritos lugere, & à secundis nuptiis abstinere debeant. Duplex huius prohibitionis ratio. Pœna Viduarum, quæ intra tempus luctus secundas nuptias festinaverint.

§. XXI.

VI. Generale: de mortuis nil nisi bene.

§. XXII.

VII. Generale: nec demortuorum sepulcra, multo minus illorum Cadavera ledenda, spolianda, vel quoquo modo violanda sunt. Quomodo sepulcrum violetur, & qua pœna violator afficiatur. Quomodo puniatur is, qui ipsum Cadaver aut ossa ledit, sive plebejus fuerit, sive nobilis.

§. XXIII.

Transitus fit ad solennia, quæ in morte & sepulturis Magnatum conspicuntur. Hæc solennitates pro Regionum conditione nimium variant. Mores Græcorum, Syrorum, Messenorum & Italicorum referuntur. De Germanorum Illustribus & Nobilibus personis. Ritus Pontificiorum, quando Archi Episcopi & Prælati cum Pallio sepeliuntur, improbat. Querimonia Jacobi, Archi Episcopi Moguntini, de hoc

Pallio. Jure Civili cavetur, ne cum corporibus ornamenta condantur.

§. XXIV.

Reliquæ solennitates recensentur. Hæc etiam pertinent Sepulcra Magnatum Familiaria. In Ecclesiis Cadavera Magnatum sepelire, iniquum non est.

§. XXV.

Epitaphia frivolas quandoque continent gloriationes. Quædam inanius quæstiunculis posteros divexant, quod ex allegato exemplo patet. Epitaphium Imp. Ottonis I. Imper. Conradi III. D. Martini Lutheri Filie, Magdalene. Eiusdem Filii secundo geniti, itidem Martini Lutheri. Justi Lipsii. Ferdinandi III. Hispaniæ Regis sententia de Epitaphiis & Statuis.

§. XXVI.

De sepultura honesta minus solenni. Eandem dicit vel homo ipse, vel Magistratus.

§. XXVII.

De sepultura inhonesta humana. Hæc fit vel extra Cæmeterium, vel in ejusdem margine, vel alio loco remoto & separato. Quibus secundum principia Pontificiorum sepultura in Cæmeterio denegatur, & quenam ex his Protestantes approbaverint, quæve rejecerint.

§. XXVIII.

Investigatur ulterius, quorum Cadavera inhonesta quidem, non tamen canina

canina sepultura affici possint, quod aliquot exemplis illustratur.

§. XXIX.

De sepultura canina sive asinaria, & quibus illa dictetur. In genere omnes illi huc pertinent, quibus propter facinora, Magistratus iussu vita naturalis, per carnificem violento modo adimitur, qui ne luctu quidem digni iudicantur. Quomodo eiusmodi miseri tractandi, & ad mortem preparandi.

§. XXX.

Cadavera punitorum ad Anatomiam tradi posse affirmatur. Anatomia perfecta Cadavera recte humantur.

§. XXXI.

De illis, quorum Cadavera relinquuntur insepulta. Horum catalogus indicatur. Rationes adducuntur eorum, qui statuunt, iniquum & injustum esse, si Cadavera maneant insepulta. Eorum vero rationes enervantur & destruuntur.

§. XXXII.

Quomodo laesae Majestatis crimen coercetur. Contra Electores, Principes, Comites, & Civitates Imperia-

les hoc crimen quoque committitur. Ipse conatus ultimo supplicio afficitur, qui & ad eos extenditur, qui in necem Consiliariorum Imperatoris aliquid moluntur. Praejudicium de quodam nobili, qui necem intendebat Principis, Domini sui directi, simulque Consilarii Imperatoris intimi.

§. XXXIII.

Extra crimen laesae Majestatis facinorosis supplicii rigorem per accelerationem mortis aliquo modo diminueri & mitigare, non iniquum, sed potius Christianum est. Variae causae, quae hanc mitigationem suadent, exponuntur. De muto & surdo facinorosis cum distinctione tractatur. Memorabile exemplum de fratre & sorore, mutis ac surdis excellentissimi ingenii profertur.

§. XXXIV.

De pena eorum, qui Cadavera punitorum vel suspensorum spoliant.

§. XXXV.

Brevis Epilogus cum voto & gratiarum actione.



§. I.



§. I.



quamprimum à Supremo Creatore homo creatus fuit, non ita multo post status sui prohdolor, integritatem diaboli fraude amisit. Quoniam igitur æternam transgressus est Legem; & ipse Adamus, & simul in ipso poteri eiusdem omnes hanc Altissimi Numinis vocem exaudire debuerunt: ex terra fabricatus es, & iterum converteris in terram. Genes. cap. 3. v. 19. Immutabilis hæc est Divina voluntas. Quamvis enim primi machinæ huius inhabitatores vitam suam ad septingentos, octingentos, nongentos annos & ultra produxerint, quorum catalogum sacræ nobis paginæ exhibent, Genes. cap. 5. quamvis etiam post illam fatalem primi mundi aquarum stragem piissimi Noachi descendentes annos vixerint quadringentos, quingentos & ultra, prout docemur ex Genes. cap. 11. omnes tamen vita sunt defuncti, & morem huic æternæ Legi tandem gerere debuerunt. Duo saltem in Sacris Litteris prostant exempla eorum, qui mortem non viderunt: Enoch alterum, qui vitam agens prorsus cœlestem, una cum corpore ad æternas ædes perductus: Genes. cap. 5. v. 24. alterum autem Prophetæ Eliæ, qui curru flammifero ad æthera fuit transvectus. 2. Reg. cap. 2. v. 11. Quinimo Verbum Aeternum, quod Caro factum est, ipse Salvator noster, Dominus Jesus Christus, Unigenitus Dei Filius, ineffabili ductus amore, mortem, & crucis quidem funestissimam, perpeffus est, ut gratiam Patris Cœlestis, criminibus nostris perditam restitueret, mortemque nostram sanctificaret. Mors igitur omnes, tam liberos quam servos absorbet, L. I. §. 4. ff. quand. de pecul. actio inan. eiusque fortuna communis est omnibus. L. 19. C. de Pactis. Manet enim illud:

*Ob transgressam Legem æternam omnes homines morti naturali subiacent.*

*Solus Enochus & Elias mortem non gustarunt.*

*Ipse tamen Salvator Optimus pro criminibus nostris.*

*Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,  
Omnia sub leges mors vocat atra suas.*

## §. II.

*Examinatur quaestio: quamdiu absentes de Jure vivere praesumantur.*

*Plurimi statuerunt: praesumi hominem centum annos vivere, Legibus quibusdam seducti.*

Sed occurrit quaestio, paucissimis investiganda: quamdiu nimirum absentes vivere praesumantur, & quando in Jure nostro habeantur pro mortuis? Nemo quidem affirmare audeat, ævo nostro homines ad illam annorum feriem vitam propagare, quam olim primi, qui vixerunt in terris, attingere mortales, factum enim id est in primæva tantum ætate ob sobolis procreationem, quam ætatem vero Deus ipse, multiplicatis hominibus, illorumque nequitii crescentibus, breviorē posthac esse voluit. Interim tamen plurimi Doctorum, auctoritatem quarundam Legum secuti, vel potius iisdem seducti statuunt: praesumi hominem vivere centum annos, quos videbis allegatos à *Carpz. P. 3. C. 15. D. 57.* Verum, si Leges examinamus, quibus adstruere conantur hujus theosos veritatem; facile constabit, firmiori talo niti: non praesumi hominem centum annos vivere. Adducunt autem dissentientes pro stabilenda sententia sua potissimum *L. 56. ff. de Usufruct. L. 8. ff. de Usu & Usufruct. leg. L. 23. C. de SS. Eccles. iuncta Nov. 9.* ubi in prioribus illis *JCrus* Caius disquisitionem instituit: quamdiu Municipes, qui certum constituebant Collegium, in usufructu ipsis legato, tuendi essent, pronunciatque centum annos usum fructum ad ipsos pertinere, quia is finis vitæ longissimus esset. In *L. vero 23. C. de SS. Eccles. Imp. Justinianus* statuit, quod, si quis hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum reliquerit, vel donationis titulo aliquid dederit, vel vendiderit *SS. Ecclesiis, Xenonibus, Monasteriis, Orphanotrophiis, aliisque* eiusmodi Collegiis, quæ uno verbo *Pia Corpora* vocamus; illorum exactio, ut & praescriptio, non nisi centum annis finiatur, quippe qui terminus longissimus vitæ hominum tempus sit. Et hoc eodem fere modo repetitur in *Nov. 9.* Apparet ergo Collegiorum publicorum, Ecclesiarum, ceterorumque piorum Corporum favorem, qui in aliis quoque rebus in Jure nostro maximus est, Imperatorem impulisse, talia statuendi, neutiquam autem inde eliciendum esse, homines centum annos vivere praesumi: cum illa praesumptio, maxime, quod ad Leges allegatas spectat, à Legislatoris intentione ad modum fuerit aliena. Quæso enim, quænam Con-



Conclusio? Ususfructus Municipibus relictus, centum annis expirat; ergo homines centum annos vivere præsumuntur. Hereditas, legatum, fidei commissum, &c. SS. Ecclesiis relictum, non nisi centum præscribitur annis; ergo homines tam diu vivere præsumuntur. Porro: longissimum vitæ hominum tempus centum annis finitur; ergo homines tamdiu in vivis esse præsumendum? Inconcinnum sane, Legibus & experientia contrariam hanc esse conclusionem nemo non videt: consummati namque Juris est, à potiori denominationes fieri, & ad ea potius aptari Jura debere, quæ & frequenter, & facile, quam quæ per raro eveniunt. L. 3. & seqq. ff. de Legib. L. 64. ff. de Reg. Jur. & ad eam Decius. Nunc autem ipsa docet experientia, vix decem ex centum millibus hominum anno centesimo suam claudere vitam, quod ipsum, si contingat, quia contingit raro, miraculum est. Decius alleg. loc. Ad hæc Lege Divina habetur: erunt nostri anni septuaginta, & in potentatibus octuaginta. & si amplius labor & dolor. Psalm. 90. v. 10. Nec tamen hæc regula perpetua est, cum quosdam hunc terminum excedere, longe vero plures illum non attingere videamus. Verior ergo & communior eorum est sententia, non centum hominem absentem sed annos septuaginta vivere præsumi. arg. L. 68. ff. ad Leg. Falcid. Et huius præsumtionis hic est effectus, ut, si quis septuagesimum ætatis annum adimpleverit, nec post diligentem inquisitionem aliquid de eo constet, an? & ubi degat, eiusmodi absens merito habeatur pro mortuo, illiusque hereditas proximis concedatur heredibus, infra hanc autem ætatem nil nisi bonorum administratio eorundemque ususfructus heredibus ab intestato competit, sub cautione tamen, quod scilicet eo reverso restituere velint omnia, quæcunque acceperunt. Lauterb. Compend. Jur. tit. de hered. petit. sub fin. Carpz. P. 3. C. 15. D. 48. & 57.

*Hoc refellitur, & rectius affirmatur, absentem vivere præsumi LXX, annos.*

*Quisnam huius præsumtionis effectus sit civilis.*

§. III.

Et hæc de absentibus. Revertor ad demortuos, quorum Cadavera pie atque honeste tractanda, & terræ mandanda sunt, quoniam omnes mortales, terræ, matris domicilii, sibi futurum merito expectant. Quamvis enim Gentiles

*Cadavera demortuorum terræ sunt mandanda.*



*Rejicitur mos  
Gentilis,*

*Variis argumen-  
tis, itemque tex-  
tibus divinis &  
uno Juridico com-  
probatur, quod  
modus humandi  
Cadavera longe  
sit religiosior.*

les mortuorum suorum Cadavera variis olim modis tractave-  
rint, devoraverint, suspenderit, combusserint, in mare ab-  
jecerint, canibus, avibus aliisque feris objecerint, qua de re  
Autores varii, interque illos B. Joh. Gerhard. Loc. Theol.  
Tom. 8. Rubro de morte allegari potest; rectius tamen Chri-  
stiani defunctorum Cadavera omni tempore terræ mandarunt  
& sepelierunt, qualis humanatio etiamnum obtinet. Est enim  
illa longe humanior & religiosior combustione: nam cum jux-  
ta divinum oraculum homo ex terra fabricatus, rursus in ter-  
ram reverti debeat; plenius per humationem quam combus-  
tionem Cadaverum, elogio huic divino satisfieri censetur.  
Hinc Patriarchæ corpora defunctorum suorum non igni, sed  
terræ mandarunt, Genes. cap. 23. v. 6. & 19. cap. 25. v. 9.  
cap. 35. v. 19. cap. 50. v. 13. & ipse Deus Mosen sepeliendo  
hunc sepeliendi modum confirmavit. Deut. cap. 34. v. 6.  
Quinimo in ipso Jure nostro favorabilis habetur sepultura in  
terra: sic enim Modestinus in L. 27. ff. de Condit. Instir.  
Si quis in Testamento suo quem heredem scripserit, sub tali  
conditione, si reliquias eius in mare abjicias, & heres huic  
conditioni non pareat, laudandus est magis quam accusandus,  
si ob memoriam conditionis humanæ potius sepulturæ tradi-  
derit, quam in mare abjecerit. Præterea homo cibus ver-  
mium dicitur, non ignis aut flammæ nutrimentum: Syrac.  
cap. 10. v. 13. & terra nostrorum omnium mater appellatur,  
æquum igitur est, ut terræ Cadavera mandentur. Et tan-  
dem sepultura luctum eorum lenit, qui suis sunt orbat, præ-  
betque occasionem pie cogitandi de mortuorum resurrectione,  
de qua Prudentius ita hymno 10. Cathemerinon:

*Hoc provida Christicolarum  
Pietas studet, utpote credens  
Fore protinus omnia viva,  
Quæ nunc gelidus sopor urget.*

§. IV.

Sed quorum curæ commissum, & quorum inprimis ne-  
gotium sit, ut corpora defunctorum terræ mandentur, bre-  
viter explicandum erit. Ante omnes ad eum hoc officium  
pertinere, quem defunctus elegit, dubio caret: si vero Testa-  
tor

*Ad quos hæc cura  
pertinet, ut Ca-  
davera sepelian-  
tur.*

tor nihil hac de re disposuerit; tunc scriptos heredes contingit: &, si nemo scriptus sit, legitimos, vel cognatos quosque, suo, quo succedunt ordine. L. 12. §. 4. L. 14. §. ult. L. 23. 24. 27. pr. L. 30. §. 1. ff. de Relig. & sumt. fun. Itaque & ad eum spectat, qui morte mulieris dotem lucratur, sive maritus sit, sive pater. L. 16. seqq. dict. tit. Nec non ad dominum servi aut ancillæ. L. 31. eod. Sic etiam ad eos hoc onus devolvitur, qui vel propter beneficia à nobis accepta, vel, quia magnus huius causæ favor, ex officio tenentur. Adeoque teneret Ecclesia suum Patronum, ob beneficium foundationis funerare: arg. cap. 25. in fin. X. de Jur. Patron. & libertus Patrono, cui suam debet libertatem, ut funus faciat, obligatus est. arg. L. 5. §. 18. & 19. ff. de agnosc. lib. Porro Magistratus officio incumbit, ne pauperes insepulti jaceant, nisi certi reditus sint destinati, unde pauperes funerentur.

§. V.

His hætenus visis propius nunc ad sepulturam procedendum est. Distinguunt illam Doctores in honestam & inhonestam: Honestam iterum vel solennem nuncupant, vel minus solennem. Inhonestam vero vel humanam dicunt, vel caninam sive asininam. Honestam solennem ego quidem ira confiderabo, ut primo loco eiusdem communia sive generalia tractem: secundo, quæ solennis sepulturæ, in gradu autem eminentiori propria sunt, exponam: tertio de ea, quæ Doctores minus solennis audit, brevibus agam: quarto autem loco de iis, quibus inhonesta humana: & quinto, quibus canina sive asinina competat, dicam: & ultimo tandem loco enumerem, quinam propter admittenda crimina atrocissima omni prorsus sepultura priventur. Faxit Deus ut omnia cedant feliciter.

*Brevibus indicatur, agi in hac Tractatione tam de illis, qui variis modis sepeliuntur, quam quorum Cadavera relinquuntur insepulta.*

§. VI.

Primum commune sive generale sepulturæ honestæ in I. Generale: Cadaveri consistit, quod Cadaveri prospiciendum sit de loco, ubi corpus & ossa condantur. Nullo enim modo, ne debitoris quidem inopis & obæratæ sepultura debet impediri: L. 6. cum Auth. seq. C. de Sepulc. viol. quoniam Reipublicæ interest, mortuorum corpora terræ mandari, ne cadavera fetorem excitent, pestemque aliosve morbos causentur, adeo-

*daveri prospiciendum esse de loco sepulturæ, sive sepulcro. Nullo modo sepultura debet impediri, & quare.*

B

que

*Impedientium  
pœna.*

*Varie sepulcri  
denominationes.*

que ratio publicæ utilitatis cuicumque commodo privato debet anteferri. Et hinc est, quod contra facientes Creditores non tantum debitum amittant, & aliud tantundem heredibus obærati solvere cogantur, sed & insuper tertriæ partis omnium bonorum suorum confiscationem patiantur cum infamia. Novel. 60. cap. 1. Carpz. P. 1. c. 30. D. 22. Eiusmodi vero locus, in quo corpus & ossa conduntur, communi vocabulo Sepulcrum dicitur, quod de Jure Civili locum designat religiosum, in quem corpus demortui hominis, ut inibi recuber, infertur. §. 9. J. de Rer. divis. L. 6. §. 4. ff. eod. L. 2. §. 5. L. 39. & 44. ff. de Relig. & sumt. fun. Alio nomine Sepulcrum exprimitur per sedem æternam, in L. 40. ff. eod. tit. alio loco domus nuncupatur defunctorum: in L. 4. C. de Sepulc. viol. rursus alio vocabulo Sarcophagum audit, in L. 18. §. ult. ff. de aliment. legat. ut etiam monumentum, in L. 14. C. de Legat. quamvis in sensu proprio illud dicatur monumentum, in quo nullius unquam corpus vel ossa recondita fuerunt. L. 42. ff. de Relig. & sumt. fun. In Sacris designatur elegantissimis descriptionibus: modo per quietem, Daniel. Cap. 12. v. ult. Sapient. Cap. 4. v. 7. Apoc. Cap. 14. v. 13. modo per dormitorium, Jes. Cap. 26. v. 20. unde etiam Quietoria & Dormitoria nuncupari solent sepulcra.

## §. VII.

*Quenam sepul-  
cra Romani ha-  
buerint.*

*Et quomodo di-  
videbantur.*

Apud Romanos unusquisque locum suum sepulcrum, sive religiosum facere poterat, dummodo cadaver defuncti, sive liber fuerit, sive servus, vel saltem eius nobilissima pars, caput scilicet, in locum vel defuncti, vel ipsius inferentis proprium, eo fine, ut ibidem recuber, illatum fuerit. L. 2. pr. & §. 5. L. 40. L. 44. ff. de Relig. & sumt. fun. L. 10. C. eod. Et hæc loca divini quodammodo Juris, itemque religiosa, & in nullius commercio reputabantur, adeo, ut in eorundem violatores severissimæ pœnæ sint constitutæ, quas legimus in tot. tit. ff. & C. de Sepulc. viol. & de quibus infra §. XXII. pluribus agetur. Et hæc apud Romanos erant Sepulcra privata, quæ dividebantur in Hereditaria, quæ quisque sibi suisque hereditibus constituit, vel hereditario Jure acquisivit. L. 5. & 6. ff. de Relig. & sumt. fun. & Familiaria, quæ quis sibi suæque Fami-

Familiæ extruxit, dict. L. 5. quæ etiam Gentilitia, Avita & Patria Sepulcra vocabantur. Et quidem in Familiaribus sepeliri potuerunt fideicommissi possessores omnes, qui de Familia eius fuerunt, qui ea construxit, etiamsi heredes non fuerint. L. 13. C. de Relig. & sumt. fun. Hereditaria vero ad solos heredes transibant, L. 8. & 13. C. eod. & si heres fuerit successor, tantum ad eundem, non ad sequentes successores, L. 42. §. 1. ff. ad SC. Trebell. nisi fideicommissi institutor id nominatim disposuerit: tunc enim Jura quidem sepulcrorum ad ipsum non transibant, sed solum Jus inferendi mortuum in sepulcrum, quod legari & fideicommitti poterat. L. 14. C. de Legat. Neutiquam vero in urbe, sed extra eandem Romani hæc sua sepulcra constituere debuerunt: sic enim Leges XII. Tabularum disponunt: Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito. Quapropter ab Imperatore Hadriano sepultura in urbe non tantum sub pœna quadraginta aureorum interdicta fuit, sed & insuper locum publicari, & corpus transferri jussit. L. 3. §. 5. ff. de Sepulc. viol. Hoc autem Hadriani Rescriptum Imperator Leo iterum abrogavit in Nov. 53. & cuique tam intra Civitates, quam extra easdem, mortuos sepelire permisit. Apud nos Christianos Coemeteria sunt in usu: videamus igitur, quanam de illis Jus Pontificium statuat, & quanam dogmata nos Protestantés sequamur.

*Extra urbem  
constitui debuerunt  
sub pœna,  
quæ postmodum  
remissa.*

*Apud nos Coemeteria  
sunt in usu.*

### §. VIII.

Potiora Pontificorum dogmata quod attinet, notum est cuique, quod illi Res omnes religiosas appellent, quæ piis usibus sunt destinatæ. Jam vero ad locum religiosum efficiendum Episcopi desideratur autoritas, eiusdemque benedictio: Cap. 4. X. de Relig. dom. & quoniam sepulturæ in loco benedicto peraguntur; facile intelligimus, cur sepulturæ Rebus annumerentur religiosis. Quod eo magis exinde quoque cognoscimus, dum Coemeteria cum Ecclesiis comparari, & tanquam accessoria Templorum, pro Rebus spiritualibus venditari soleant. Cap. 7. X. de Consec. Eccles. Ex quibus tandem fluit, quod nemo, sepeliendo Cadaver autoritate privata locum religiosum facere possit. Est enim secundum hos Canones Sepultura, quam ad modum nostræ Honestæ, Ecclesia-

*Pontificii Coemeteria  
& sepulcras rebus annu-  
merant religiosis.*

clesiasticam nominant, Humatio corporum, Ritibus liturgicis in Cœmeterio facta. Cœmeterium vero dicunt Locum publicum ad sepulturam unice destinatum, autoritate sacra solenniter erectum, & plerumque ædibus sacris cohærentem. Celeb. D. Pertsch, in Element. Jur. Can. & Protest. Eccles. Part. Prior. Lib. 2. Tit. 21. §. 820. seq. Vid. etiam pluribus Speidel. Spec. Jurid. voc. Begräbniß. nec non Joh. Hieron. Hermann. Teutsch Jurist. Lexic. Tom. 1. voc. Gottsäcker.

*In sepulcris va-  
rios ritus adhi-  
bent liturgicos.*

Ritus liturgici potissimum requirunt, ut sepultura peragatur in consecrato Cœmeterio, & quidem cum lumine, psalmis, sacris orationibus, oblatione, & aliis. Can. 28. Caus. 13. quæst. 2. can. 12. Caus. 23. quæst. 5. D. Pertsch. loc. cit. §. 824. Hanc sepulturam consequuntur illi, qui vivi in Communione Ecclesiastica fuerunt, quam diudicabant ex admissione ad preces, conventus, & sacrum commercium. Palmarium signum erat admissio ad Eucharistiam & oblationes. Offerentium nomina inter preces recitabantur. Postea oblationes in sacrificium transiere; hinc ad denotandum, quod in communi-  
one Ecclesiastica decesserit, superstites pro eo oblationes faciebant. Quum sic defuncti precibus Deo commendati fuerint; mox invaluit opinio, oblationes defunctis prodesse. Hinc luctuosum, carere communi-  
one precum post mortem, quia ejectorum oblationes non recipiebant, & sic nec preces pro illis fundebant. Sic demum ortæ sunt mistæ pro defunctis. Annotavit hæc ex Hildebrand. Offeror. pro defunct. Celeb. D. Pertsch. loc. cit. §. 825. not. 1. Porro Canonica

*Sepulturam con-  
cedunt gratis.*

Jura volunt, ut gratis concedatur sepultura, can. 12. & 13. Caus. 13. quæst. 2. cap. 9. X. de Simon. cap. 13. X. de Sepult. & ne quidem ratione officii exequiarum aliquid exigatur, cap. 8. seqq. X. de Simon. habetur quippe Simoniacum, pro administrandis Sacramentis, vel locis sacris ac religiosis aliquid accipere: cap. 9. 29. & 41. X. eod. nisi consuetudo pia aliud receperit, aut sponte oblatum fuerit honorarium, hoc enim Jus Canonicum acceptare permittit. cap. 42. X. de Simon. B. Linck. ad Decret. Lib. 3. Tit. 18. §. 5. Tandem sepultura de hoc Jure in Cœmeterio, non in Ecclesia fieri debet: Can. 15. & 18. Caus. 13. quæst. 2. quanquam Episcopi, Abbates, Presbyteri, & Laici honoratiores in Ecclesia sepeliri possint. dict. Can. 18. Caus. 13. quæst. 2. Sepultura vero  
in

*Et eandem quo-  
que in Ecclesiis  
permittunt, cuius  
rei origo ad*

in Ecclesia seu Templis ex veneratione erga martyrum reliquias ibi conditas, ortum traxit: & quamvis, ut modo dictum, variis postmodum sanctionibus prohibita fuerit; ob lucrum tamen inde proveniens semper refricit. D. Pertsch. alleg. loc. §. 823. in not. Quinimo sequioribus temporibus milites quoque, & qui pessimam egerunt vitam, in Ecclesia sepeliri cœperunt, idque ob triplicem rationem, ut vult Lan- cellott. in Instit. Jur. Canon. Lib. 2. Tit. 24. §. 1. Scilicet 1) *peffimam egerunt vitam, idque ob* ne vexentur à spiritibus immundis: 2) ut commendentur pa- *trrociniis Sanctorum: itemque 3) precibus Agnatorum. Ve-* rum enim prima ratio sapit gentilismum, gentiles quippe *superstitionas ra-* averfabantur busta, eo quod in iis mortuorum umbras ober- *tiones, quæ re-* rare, atque dæmones circa sepulcra obversari credebant, ut *cessentur & re-* defunctos vexarent: quem timorem per sepulturam in locis *felluntur.* sacris excludere volunt Canonistæ. Altera vero ratio non habet fundamentum aut exemplum in Scriptura: nec enim mortui commendationes Sanctorum, si beati sunt, requirunt, aut, si damnati, iisdem iuvari possunt. Unde liquet, quid de tertia ratione, precum pro defunctis, statuendum sit. Et si enim Seculo quarto & deinceps mos obtinuerit in Ecclesia, non solum in funeratione, sed etiam anniversaria die oblationes & orationes pro mortuis facere: qui ritus improbari nequit, dummodo non alium habeat finem, quam gratulationem de feciliori statu, desiderium futuræ resurrectionis, atque ut Deus lauderetur, qui defunctum à miseriarum valle liberavit; non tamen negandum est, Veteres sæpius in precibus pro defunctis fufis, hos terminos transfiliisse, illisque remissionem peccatorum venalium impetrare voluisse, quod merito rejiciendum est. Equidem adhuc hodie sæpissime formula ista consueta, & recte utimur: Deus ipsi esto propitius: scilicet non quoad remissionem peccatorum, sed futuram resuscitationem. B. Linck. ad Decret. Lib. 3. Tit. 28. §. 2.

## §. IX

Sed dispiciendum etiam est, quænam de Sepulturis & Cæmeteriis Protestantium sit sententia. Equidem si rem ac- *Sanior quidem est* curate cum Celeb. D. Pertsch. alleg. loc. §. 829. seq. dimensu- *Protestantium* rare velimus; Cæmeteria sunt loca Universitatis, eum in fi- *doctrina de Sepul-* *nem*

B 3

nem

*uris & Cæmeteriis: varias tamen Conclusiones, reprobatis Principiis Pontificiæ Juris retinuerunt, maxime, dum circa Jus Sacrorum duplicem Imperanti personam attribuerunt.*

nem adornata, ut ibi Cadavera membrorum Universitatis condantur. Inde sequentia fluunt: A qualibet Universitate hæc loca posse constitui citra Consistorii auctoritatem: Imperantem et Magistratum Politicum, sicuti de aliis actibus bonum publicum respicientibus disponit, posse etiam de sepultura Leges condere: Quemadmodum in omni Universitate certis personis cura rerum Universitatis tribuitur, quam curam et ipsa Cæmeteriorum constitutio desiderat; ita Politicum Magistratum optimo Jure hanc sibi spartam vindicare: Locum Sepulturis destinatum manere sub illius Jurisdictione, cui antea fuit subjectus: Nemini denegandam esse Sepulturam, qui pro membro Civitatis reputatus fuit: Nihil iniqui continere, ubi à peregrinis pretium pro loco Sepulturæ exigitur. At vero, sicuti in applicatione Juris Canonici, Protestantes sæpius reprobatis Principiis Conclusiones retinuerunt; ita in doctrina de Sepulturis idem accidit. Nam, repudiata Consecratione erectionem Cæmeterii ad Jura Episcopalia referunt: Reprobatis orationibus & oblationibus pro defunctis, excommunicationem mortuorum in plurimis propugnant: Consistorii cognitioni vindicant, num quis Ecclesiastice sit sepeliendus. Cum tamen, si sua ratione stare deberet Jurisprudentia, magis cohærentia tradenda forent. Quapropter non superstitium arbitror, si hac occasione paululum in causas inquiram, cur Jureconsultorum plurimi Jus Sacrorum, Status ex capite Superioritatis Territorialis competens, modo Papale nominaverint, modo Episcopale, adeoque duplicem Imperanti personam tribuerint.

§. X.

*Ratio genuina ex primis fontibus adducitur, cur Principes & Status Protestantes uno nomine Judices Seculares appellentur, altero vero Ecclesiastici.*

Videlicet Status Imperii nostri, cum primis Evangelici, quibus ex Inst. Pac. Art. 8. §. Gaudeant. 2. Summa competit Potestas Civilis & Territorialis Superioritas; Jus quoque Sacrorum, die *Geistliche Gerichtbarkeit*, optimo maximo Jure sibi vindicant. Quanvis enim hoc ipsum Jus circa Sacra Principibus à Pontificibus, præsertim Gregorio VII. maxima injuria fuerit ereptum; illud tamen ex parte per Pacem Religiosam, plenissime vero per Instr. Pacis, Art. 5. §. Transactio 1. & §. Jus Dicecesanum. 48. Iphis assertum, & quasi



quasi post liminii Jure restitutum est. B. Linck. de Jur. Episcop. cap. 1. n. 61. 62. Ill. D. Coccej. in Jur. publ. prud. cap. 18. §. 26. 27. Minus autem recte hoc Jus Sacrorum, proprio Statibus Jure competens, Jus Papale five Episcopale vocatur: minus etiam apte duplex Statibus Imperii persona, & Secularis Principis, & Episcopi affingitur, quod tamen præter alios fecerunt Myler ab Ehrenbach. de Princip. & Stat. Imp. Carpz. Mevius. Stryk. in Tract. de Jure Papal. Princip. Evang. Ill. Coccej. in Jur. pub. prud. cap. 22. §. 15. B. Linck. in alleg. Tract. de Jur. Episcop. cap. 1. n. 45. & 63. cap. 4. n. 103. Nam primo Jus Maiestaticum circa Sacra præter illas Juris Episcopalis partes, Ordinem scilicet, Legem Dicecesanam, Jurisdictionem & Dignitatem, adhuc plura complectitur: Linck. cit. loc. n. 65. & 66. nec secundo convenit Statibus, Jus circa Sacra proprio Jure competens à malæ fidei possessoribus denominare, adeoque sub vocabulis Juris Papalis five Episcopalis comprehendi. Vid. Jac. Brunnem. in Exam. Jur. publ. Lib. 3. cap. 3. quæst. 10. Ill. Thomaf. in not. ad Monzamb. cap. 5. §. 12. in fin. ubi multum sane interesse ait, itane an aliter loquamur. Ratio autem genuina, cur Jureconsultorum pene multi hoc Jus Sacrorum modo Papale modo Episcopale nominaverint, & duplicem Imperanti personam attribuerint; inde à Reformationis temporibus petenda est. Decepti nimirum fuere Reformationis tempore Protestantes, principiis Juris Canonici, putantes, dari omnino peculiarem Potestatem Ecclesiasticam externam, quod duplicia Judicia, Secularia & Ecclesiastica, sub ipsis Reformationis initiis deprehenderent. Deinde, cum per Transactionem Passaviensẽm suspensa fuerit Episcopalis potestas intuitu Protestantium, eandem vero mox Principes & Status optimo Jure sibi vindicaverint, seque Territoriorum intuitu nominaverint Episcopos; hinc duplex persona Principibus adscripta, & sic etiam duplex Judicium efformandum esse creditum, atque pro Consistoriorum necessitate mox pugnatum fuit, adeoque iuxta Juris Canonici tradita Consistoria adornata fuerunt. Conf. Celeb. D. Pertsch. alleg. Tract. Part. poster. Lib. 3. Tit. 1. §. 5.

§. XI.

Sufficiant hæc de Generali primo: Cadaveri de loco Se-II. Generale: *bo-*  
*pulturæ*

*nesta sepultura  
solennis regula-  
riter nemini de-  
neganda.  
Quid heic loci sub  
nomine sepulturae  
solennis veniat.*

pulturæ prospiciendum esse. Progredior, sed pro ratione instituti, brevissimis saltem ad alterum: Honestam sepulturam solennem regulariter nemini denegandam esse. Ut autem de mente mea constet, quid heic loci per sepulturam honestam solennem indigitare velim; ad eandem refero 1.) Cœtum Christianum, qui funus sequitur, & demortuum ad Cœmeterium comitatur, vestibus luctui accommodatis. 2.) Campanarum usum dum funus ducitur. 3.) Cantiones Christianas, quæ solamen lugentibus aliisque afferunt. 4.) Conciones precesque ad rem præsentem accommodatas, & tandem 5.) ut in honorem & memoriam defuncti, ea, quæ ex vitæ curriculo notabilia videbuntur, Cœtui Christiano annuncientur vel prælegantur. Datur enim & alia solennis Sepultura, sed in gradu excellentiori & eminentiori, de hac autem infra §§. XXIII. XXIV. & XXV. dicetur pluribus.

§. XII.

*III. Generale: Sepulcrorum profunditas pro ratione Cadaverum debet esse proportionata.*

Eadem brevitate saltum facio ad Generale tertium: Profunditatem sepulcrorum pro ratione Cadaverum proportionatam esse debere. Cum enim animadvertendum sit, ne Cadavera sepulta eruantur à bestiis ac devorentur, & imprimis intersit Reipublicæ, ne aër exhalationibus putridis, quæ ex sepulcris oriri solent, corrumpatur, & sic corpora vivorum inficiantur; quilibet facile intelligit, sepulcri profunditatem & homini adulto, & infanti defuncto accommodandam esse. Hac autem de re ex Ordinatione Ecclesiastica Saxonica, itemque Cattimelibocensi sequentia allegasse sufficiat. Et quidem in Saxonica hæc leguntur in Artic. gener. 15. Nachdem sich auch an etlichen Orten begeben, daß die todten Körper durch die unvernünftigen Thiere, da die Kirchhöfe nicht zum besten verwahret, weil sie nicht tief genug in die Erden gelegt, ausgegraben worden, soll jeden Orts Obrigkeit diese Verordnung thun, daß die Gräber vor die alten und erwachsene Leuthe auß wenigste eines Mannes tief, desgleichen auch der Kinder also gegaben, auf daß dergleichen nicht mehr zu besorgen. Cattimelibocensis ita disponit: Damit auch die Luft aus denen Gräbern nicht verunreiniget, noch auch sonst die todten Körper, zu Vorkommung allerhand besorgten Unraths, kaum halb in die Erden



Erden verscharret werden mögen, sollen die Gräber tief genug gemacht werden. u. u.

§. XIII.

Quantum Generale ita audit: Cadavera nimis cito non IV. Generale: sunt efferenda ad sepulturam. *Cadavera nimis cito non sunt efferenda.* Materix huius gravitas & dignitas omnino requirit, ut eandem paulo penitius consideremus, cum primis quoniam Medici suadent, ne funera festinentur. Inter illos Levinus Lemnius Lib. 2. cap. 3. de occult. natur. miracul. hæc habet: Lege cautum esse convenit, ne Libitinarii ac Vespillones præpropere mortuos existimatos loculo includant, maxime eos, qui Apoplexia, aut morbo comitiali, uterique strangulatione suffocantur, cum in iis nonnunquam delitescat anima, quæ rursus corpore spiritu vitæque imbuit. Recenset hæc ex Lemnio Dominus Caspar Questelius, Ducatus olim in Holfatia Aulæ & Consistorii Plænenfis Consiliarius, in elegantissima Dissert. Academ. de Pulvinari morientibus non subtrahendo. cap. 2. §. 31. editionis tertix. Jenæ Ao. 1698. de qua ipsa Dissertatione maximi nominis Jctus Joh. Schilter, in litteris eidem præmissis, de dat. Jenæ Non. Febr. 1678. hoc tulit Judicium: Placet ea per omnia. Oblectat argumenti raritas: arridet tractationis concinnitas: satisfacit doctrinæ varietas. Et profecto sæpius moribundæ animæ latent in corporibus, vehementioribus ecstasibus oppressæ, & ab omni corporea actione solutæ. Horum autem morborum, unde quis mortuo similis apparet, tres maxime species referuntur à Medicis, Apoplexia, Syncope, & Suffocatio hysterica seu uterina. *Tres cum primis morborum species recensentur, unde quis mortuus similis apparere possit, cum tamen anima in eo delitescat, adeoque vivat, licet non sentiat, quoad nostri sensus iudicium.* Ex his morbis ita quandoque afficiuntur homines, ut pro mortuis appareant, dum nullo sensu, motu, pulsu, aut respiratione, facie subinde livida, & interdum cum totius corporis refrigeratione, nullo vitæ iudicio, nullique dubia mortis persuasione observantur. Notat hæc ex probatissimis Autoribus Medicis, Velschio, Schenckio & Sennerto, D. Questelius alleg. loc. §. 25. Sed quo modo homo absque sensu ullo & motu, etiam ipsius pulsus ac respirationis, vivere poterit, cum tamen vita sine respiratione & sensu non credatur existere? Ad hæc D. Questel. dict. loc. §. 26. ex Galeno, Medicorum Parente, itemque

C

Sen-

Sennerto, ibidem allegatis, ita respondet: Respirationem duplici modo dici posse, unam internam, alteram externam. Hanc fieri per motum apparentem, & oris respirationem, proprieque dici Spirationem, quæ in nostros sensus incurrat: internam vero, quæ abusive ita dicatur, sive in specie Transpirationem, respectu nostri insensibilem esse, dum calor natus, ad extremam veniens debilitatem, ob morbi alicuius violentiam non indigeat tanta, ut prior, refrigeratione. Unde, licet sine hac nemo, ne ad momentum quidem vivere possit, bene tamen posse sine illa, & quidem ad plures dies. Quod autem ex istius, externæ nimirum respirationis absentia hominem pro mortuo habeamus, fieri ex apparentibus quibusdam mortis signis externis, & quia internam occultamque nobis transpirationem ignoremus: ut sic homo quidem vivat, sed non quoad nostri sensus iudicium.

§. XIV.

Cavendum igitur est, ne homines nimis cito sepeliantur: cum de multis historiarum monumenta cum ipsa experientia satis testentur, qui morbis laborantes subitaneis & acutissimis, pro mortuis sunt habiti, & nihilominus post aliquot non modo horarum sed & dierum intervalla, ex eiusmodi mortis analogia, ad se & vitam activam, tanquam ex somno redierunt, idque non sine maxima multorum admiratione, ac si à mortuis essent revocati. Nec desunt exempla utriusque sexus, & quidem ipsorum, qui vel deportandi inter cantandum adhuc vivi deprehensi fuerunt, vel iam deportati redierunt. Levinus Lemnius, quem allegat Questelius noster §. 21. ipse testatur in supra cit. Tract. de occult. natur. mirac. Lib. 2. cap. 3. sua & Avorum memoria nonnullos effracto capulo revivixisse. Ex Plin. Lib. 7. histor. nat. cap. 25. idem Questel. refert, quendam, qui Capuæ efferebatur feretro, domum pedibus remeasse: nec non ex Valer. Maxim. Lib. 1. Memorab. cap. 8. in rogo reviviscentes sine commodo auxilio combuitos fuisse L. Lamiam, Virum Prætorium, & Attilium Aviolam, Consularem Romanum, qui inprimis à Medicis & domesticis mortuus

*Varia hæc de re  
asseruntur ex-  
empla.*

tuus creditus, cum aliquandiu humi iacisset, elatus est, postquam vero corpus eius ignis corripuit, vivere se proclamavit, auxilio, ibi unice adhuc remanentis pædagogi sui invocato, qui vero dominum suum flammis iam circumdatum fato eripere non potuit.

§. XV.

Sunt & alia exempla in medium proferenda, quæ satis declarant, quod in humanis mortuis non nimis festinandum, sed aliquantum sepultura differenda sit. Refero huc illa duo, quæ leguntur apud Speidel. in Spec. Jurid. voc. *Begräbnis*. in addition. Nobilis quædam Matrona Colonienfis, nomine Richemodis peste obiit 1357. cui maritus ob coniugalis amoris vinculum, sponsalium annulum in digito reliquit, quem vespillo animadvertens noctu cum famulo suo accessit ad bustum: idque aperuit, servus descendit, annulumque detrahere voluit, quo factò mulier se erexit: Vespillo & famulus relicta lucerna aufugere: mulier ea sumta domum suam rediit, quam maritus visò annulo intromisit, exque ea tres adhuc filios suscepit. Sic nobilis quidam Luschnovius pro mortuo elatus & depositus, noctu rediit vivus, & postea liberos adhuc quinque genuit. Primum excerpfit Speidel. ex Kornmann. de mirac. mortuor. part. I. cap. 16. alterum autem ex Crusii Annal. Suevic. Pari modo Martin. Naurah. Consiliarius quondam Hasso-Casselanus, & supremi Appellationum Judicii Assessor, in absolutissimo Tractatu de vita & morte hominis, in Additam. Practic. ad Theorema 89. ex Thuan. Lib. 33. Histor. refert, quendam Ludovicum Civilem, nobilem Gallum, in obsidione Rothomagensi A. 1562. pro mortuo habitum & iam sepultum respirasse, ac postmodum adhuc 40. annos visisse.

*Continuatur hæc materia plurium exemplorum recensione.*

§. XVI.

Huius voti & felicitatis, ex sepulcro ad superas auras evadere, nec Zeno Imperator, nec Johannes Dunschorus, subtilis Philosophus & Theologus, compotes facti fuerunt. Zeno enim Ilauricus, Imperator Orientalis, qui A. C. 491. vivi sepulti fuisse

*Exemplum Imp. Zenonis, & Joh. Dunschori, qui vivi sepulti fuisse*

*runt, & miser-  
rime perierunt.*

*Pia de iisdem  
annoratio.*

sive ex morbo acutiori & comitiali, sive alia etiam ratione, nam de modo Scriptores dubitant, mortuus videbatur, iussu uxoris Ariadnae sepultus est. Satellites autem qui ad sepulcrum, in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, referebant, se per duas noctes lamentabilem audivisse vocem ex sepulcro elatam: miseremini, & aperite mihi. Cum satellites illi dicerent, alium iam imperare: nil, inquit, curo, in monasterium me abducite. Sed, cum ab uxore prohibiti custodes non aperirent, adeoque nemo sic vociferanti iusto tempore succurreret, & aliquanto post monumentum reclusum fuisset; Zenonem ita invenerunt, ut praefame suos ipse manducaverit lacertos & caligas quas gestabat. Johannes autem Scotus Apoplexia correptus, nimis festinato funere pro mortuo tumulatus fuit: sed cum redeunte vita sero morbi impetum natura discuteret; frustra ad petendam opem miserabili mugitu edito, pulsatoque diu sepulcri lapide, capite tandem eliso, Coloniae periit. Conf. D. Naurah. Tract. supra alleg. Theorem. 89. D. Questel. loc. cit. §. 23. qui ad haec duo exempla §. seq. 24. ita commentatur: Utrumque miserabile fati, & ob circumstantias singulares etiam posteri horrendum seculis exemplum, cui nullum supplicium facinorosorum quoad cruciatum puto comparandum: sicuti & ex adducta Zenonis lamentabili voce, & pariter miserabili mugitu Scoti, ac suffocandi alias angustia, praesertim tam gravi, licet cuique aestimare. Quae sane tanto hic gravior cenferi debet, quod, dum alii ob delictum, hi ob morbum: illi cum solatio externo, hi sine eo, adeo crudeli & lenta morte, ex nulla poenae necessitate, sed ex casu, & summa suorum negligentiae culpa vel dolo perire coguntur. Sane vel unum ex his, etsi paucis Christiani homines movere satis est, ne cum suis quos habent pro mortuis, nimium properent ad terrae antra gravissimae, tantisque cruciatibus ac periculis eosdem exponant, impia sane ac prorsus damnabili ratione.

§. XVII.

*Quaedam exempla  
de feminis.*

Nondum autem exemplorum satis: fuerunt enim quandoque & feminae tanquam exanimis, ab ipsis Medicis nimis cito

cito sectionibus Anatomicis subiectæ, uti patet in nobili apud Hispanos scæmina hysterica, quæ ad secundam adactæ novaculæ impressionem clamore viventem se manifestavit, non sine periculo summo & mærore illius alias celebris Anatomici. Aliæ utero gerentes in ipsis sepulcris pepererunt. Medicos Autores de his allegat sæpius citatus Quæstel. §. 22. Idem §. 30. ex Valerio Maximo Lib. 1. Memorab. cap. ult. recenser, Georgiam quendam Epirotam in funere matris suæ utero elapsam, ac inopinato suo vagitu lectum ferentes consistere coëgisse, & ita matrem fato functam peperisse, atque Georgiam ante elatum quam natam fuisse. Hinc etiam Iustus Marcellus L. 2. ff. de mort. infer. & sepul. ædif. negat, ait, Lex Regia, mulierem quæ prægnans mortua est humari, antequam partus ei excidatur. Quamvis enim non ita frequenter matre mortua partus vivens deprehendatur; attamen cum interdum uno vel altero id exemplo contigerit, Lex inde salubriter negans seu prohibens condita est.

§. XVIII.

Sed quæritur quamdiu vita hoc modo in homine delite- *Inter morbos di-*  
 scere possit? Prout Quæstel. excerptis §. 27. distinguunt Do *stinguunt Domi-*  
 mini Medici experientia edocti ab Apoplexia & suffocatione *ni Medici, quan-*  
 uteri, Syncopen, & vix ultra spatium viginti quatuor hora- *diu anima in ho-*  
 rum fortem Syncopen sustineri, ex Zach. Quæst. Med. Le- *mine delirescere*  
 gal. cum hoc exemplo profert, quod postridie Matrona no- *possit.*  
 bilissima Augustana iam præparata ad tumulum, ex gravi syn- *Allegantur ali-*  
 cope, per acum plantæ pedis ipsius curiose infixum, ad se & *quor exempla,*  
 sensum redierit: Apoplexiam vero & suffocationem uteri in-  
 terdum per integrum, binos, aut etiam tres dies durasse, ex  
 Schenck. Observ. med. hoc notabili exemplo comprobat,  
 quod apud Ferrarienses puella quædam Apoplexia detenta,  
 pro mortua ab omnibus Medicis credita fuerit: cum vero  
 mater puellam summopere amatam non ita facile sepeliri per-  
 mitteret, sed per triduum apud se detineret, contra opinio-  
 nem omnium eam tertio die quasi ab inferis sublevatam, re-  
 vivixisse. In ejusmodi igitur morbis uteri ac apoplexia sep-  
 tuaginta duas horas, aut tres dies integros pro termino vi-  
 vendi ab omnibus fere Medicis assignari ait Quæstel. & §. 29.

*Admonitio ad Imperatores.*

ita pergit : Commodum & laudabile maxime foret, si optimo quorundam Principum exemplo, omnes Christiani Magistratus per publica Decreta Leges ferrent tam necessarias tamque desideratas, quibus prohiberentur tum Medici & Chirurghi, damit sie nicht so schleinig mit Anatomischer dissection an der Verstorbenen Haupt und Leibern verführen: tum vespillones & alii, daß selbige nicht derer Sarg so bald junagelten, oder sie wohl gar so geschwind ohne Unterscheid zu begraben sich unterstünden. Merito igitur & in hac parte salubres de-

*Patriæ Leges de prædicantur.*

prædicamus Patriæ Leges, quæ permittunt civibus, ut defunctorum suorum corpora ad triduum, quinimo in eiusmodi casu emergenti ad usque quartum diem apud se detinere, & sepulturam tamdiu differre possint. Sic enim disponitur in Ordinat. renovata de 23. & publicat. 31. Aug. A. 1738. §. I. Daß die Leichen hinführo außs längste über den dritten Tag, NB. außser dem Nothfall, nicht aufgehaltten, sondern an demselben zur Erde gebracht werden sollen.

### §. XIX.

*Nec in peste sepultura demortuorum acceleranda, & quare?*

Antequam finiamus hanc materiam, de eo paucis dicendum est, annon sepultura demortuorum in peste acceleranda sit? Id quidem cum multis aliis statuit Naurah. in Tractat. supra alleg. de Vita & morte hom. Theorem. 89. quoniam fætor eiusmodi demortuorum hominum varia morborum genera causare solet. Si vero D. Quæstelium audimus §. 36. cuius sententiam & ego amplector, ille pernegat, ex sacris adducens litteris, Dei hanc esse pœnam, quæ propter peccata nostra immittatur, & augeatur dissidentia: cum gratia maneat confidentes, & exemplis tum ministrantium tum Medicorum constet, qui in hisce pestiferis morbis incolumes fuerint conservati, præ multis nimium meticulosi: & quia ob tetrum corruptumque vaporem pestilentem quandoque suffocatio vel animi defectus aliquibus contingat, quo adhuc viventes mortuis similes habeantur; hinc facile fieri posse, ut tales, æque ac ad reliquos supra dictos morbos proni, dum nimis cito & fere promiscue efferantur, ante sepeliantur quam vere mortui fuerint.

*Exempla eorum qui pestis tempo-*

pro mortuis traditos esse sepulcris, testem Quæstel. producit Zach.



Zach. in Quæst. med. Legal. Tom. 3. Conf. 79. n. 5. qui re-<sup>re pro mortuis</sup> fert, quod inter alios Juvenis quidam, qui in Archi Hospi-<sup>elari fuerunt.</sup> tali S. Spiritus ibidem A. 1656. ex pestis violentia in synco-  
pen lapsus, pro mortuo inter reliqua cadavera semel, atque  
iterum post duos dies, ex eodem affectu eiectus fuerit, per  
vespillones trans Tiberim terræ mandandus, bina vice se re-  
collegerit, & ad Hospitale relatus fuerit. Aliud exemplum  
de puella quatuordecim annorum commemorat Quæstel. ex  
Schenck. L. 6. Observ. med. Tit. de peste, quæ lintheami-  
num vinculis iam insuta, ad multas horas tempore omnium  
frigidissimo in terra jacuerit, sed cum feretrum per vespillone-  
nes ad sepulturam eius pro more afferretur, magno cum eo-  
rum stupore quasi rediviva, ex lecto, quo se interim contu-  
lerat, audacter locuta fuerit, per aliquot annos deinde su-  
perstes.

§. XX.

Et hæc sufficiant de Generali quarto: defunctos ad sepul-  
turam nimis cito non esse efferendos, id quod exempla satis  
comprobant hactenus adducta. Generale quintum accedo,  
quod his includitur verbis: Demortuos esse lugendos. Hoc  
non solum naturalis Juris est, ex officii erga alios profici-  
fcens, sed id ipsum pietatis etiam efflagitat ratio. Proin in-  
primis lugendi sunt necessitudinis vinculo nobiscum juncti,  
puta Parentes & liberi utriusque sexus, nec non & cæteri  
Agnati vel Cognati, per L. 23. ff. de his qui not. infam. Con-  
sistit hic luctus tum in internis tum in externis mæstitiæ si-  
gnis, quod ultimum per vestes potissimum lugubres indicari  
solet. Merito autem ille lugendi modus improbatur, cum  
nonnullæ gentes laniabant genas suas & faciem, misereque  
& horrendum in modum eiulabant, quemadmodum Anna  
Didonis soror, de qua Virgil. Lib. 4. Aeneid.

V. Generale :  
demortuos esse  
lugendos.

Qui nam modus  
lugendi impro-  
betur:

*Audit exanimis, trepidoque exterrita cursu,  
Unguibus ora soror sedans, & pectora pugnis,  
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.*

Moratoribus sane gentibus hic lugendi modus iam displicuit, eumque Legibus suis extirpare ituduerunt. Multo igitur minus Christianis convenit, & potissimum viros admodum

dum dedecorat. Est enim muliebris plane & effeminati viri tantopere lamentandi, nihilque turpius illis muliebri fletu: quippe qui à virtute, quod omnia adversa forti & presenti animo ferre ac perferre debeant, dicti creduntur. Hinc Seneca, Viris, inquit, nullum legitimum lugendi tempus est, quia nullum honestum. Epist. 63. quod autem de illo luctu accipiendum est, qui fit plorando, lamentando & nimium ciulando: non autem de eo, qui vestitu lugubri aliisque tristitiæ signis internis, si moderata sint indicatur. Idem enim Seneca in principio Epistolæ cit. Oculi, dicit, amisso amico nec ficci sint nec fluent, sed lachrymandum quidem est, non vero plorandum. Ad hæc neque sacra Scriptura moderatum prohibet luctum: hinc Israëlítico populo mirum videbatur factum illud Prophetæ Ezechielis, qui ex speciali Divino mandato nec interna nec externa mœstitiæ signa palam edebat, cum mulier ipsius vitam deponeret, prout legimus Ezech. cap. 24. v. 16. & seqq. Nihil igitur obstare video, quo minus viri uxores suas moderate lugere possint & debeant, præsertim cum hoc vinculo teste Scriptura nullum fortius arctiusque deprehendatur. Quamvis autem certum lugendi tempus maritis viduis præfixum non sit; attamen durante spatio femelstri eos à novo matrimonio abstinere æquum est. Hoc idem tempus luctus præfixum est viduis maritis in renovata Ordin. supra §. 18. alleg. in verbis: *So solle 9.) ein Mann seine Ehefrau betrauen ein halbes Jahr.* Adeoque per se patet, quod intra hoc temporis spatium à secundis nuptiis arceantur. Publica namque honestas obstat, quo minus viduis mox aliam uxorem ducendi facultas detur: levitatis insuper & incontinentiæ notam apud graves viros vix effugiet, ad secunda vota mox properans. Quodsi tamen prægnantes alleget causas, v. g. quod ob propriam valetudinem, vel ad curam & educationem liberorum imuberum, vel ad molestam & diffusam œconomiam administrandam uxore opus habeat; tunc Magistratus præscriptum tempus per dispensationem omnino potest & quoque solet abbreviare. Conf. Bruckner. in Decis. Jur. matrim. Part. 1. cap. 15. §. 38. p. 517. Uxores autem quod attinet, illæ viros suos non modo lugere sed etiam elugere coguntur. Tempus olim decem erat mensium, ut videre est apud Ovid. Lib. I. Factor.

❁ qui vivos deceat Christianos.

Quanto tempore Viri Uxores suas lugere & à secundis nuptiis abstinere debeant de Jure Patrio.

Ratio huius prohibitionis.

Quamdiu uxores maritos suos lugere, & à secundis nuptiis abstinere debeant.

Tem-

*Tempora digereret cum conditor urbis, in anno*

*Constituit menses quinque bis esse suo.*

*Scilicet arma magis, quam Sydera, Romule, noras,*

*Curaque finitimos vincere major erat.*

*Est tamen & ratio, Caesar, que moverit illum,*

*Erroremque suum quo tueatur habet.*

*Quod satis est utero matris dum prodeat infans;*

*Hoc anno statuit temporis esse satis.*

*Per totidem menses à funere coniugis, uxor*

*Sustinet in vidua tristia signa domo.*

Postea vero duobus mensibus adiectis integer annus præfinitus est, L. 2. C. de secund. nupt. ibique Gothof. in not. cap. ult. X. eod. Nov. 39. cap. 2. continuus tamen, qui etiam ignoranti cedit: unde, si qua maritum suum mortuum ignoravit, & anno demum elapso cognovit, uno eodemque die sumere potest & deponere lugubria. per L. 8. ff. de his qui not. infam. A secundis igitur nuptiis interea temporis abstinere vidua debet, cuius prohibitionis ratio potissimum duplex est, *Duplex huius prohibitionis ratio.* & prima quidem ut sanguinis confusio eo magis evitetur, L. 53. §. 3. C. de Episcop. & Cler. cum mulier non tantum novem, sed & decem menses iterum gerere possit: L. 29. pr. ff. de lib. & posthum. L. ult. ff. de fideicom. libert. L. ult. C. de posth. hered. instit. atque ita nuptiis intra hoc tempus contractis incertitudo liberorum oriretur, nec satis constare posset, an liberi ita nati priori vel posteriori marito sint adscribendi: L. 8. §. 4. C. de Repud. Wesenbec. in Parat. ad ff. tit. de his qui not. infam. n. 5. quoniam non tantum nono & decimo, sed & septimo mense nasci potest infans. L. 12. ff. de stat. hom. Altera ratio huius annui luctus violationem honestatis publicæ respicit, cum res sit indecora plane suspectæque pudicitiae plena, vix elato ac humato marito ad secunda vota transvolare: dict. Nov. 39. cap. 2. in fin. Et quamvis hæc duæ rationes non semper concurrant, sed illarum una quandoque deficiat; non tamen ideo nuptiarum statim iteratio indulgenda est, quia communi DD. calculo duabus prohibitionis causis concurrentibus, non una tantum sed utraque demum cessans prohibitionem quoque cessare facit.

D

Ez

Ex quo clarum est, ut, si statim à morte mariti pepererit uxor, sicque turbati feminis amplius nulla suspicio militet; interdictæ tamen adhuc sint nuptiæ intra tempus luctus, ob reverentiam & memoriam defuncto marito debitam. Gothof. in not. ad L. 11. §. 1. ff. de his qui not. infam. lit. Q. & R. & in not. ad L. 8. §. 4. C. de Repud. lit. D. Quamvis annum hoc tempus luctus arbitrio Judicis esse relinquendum existimem, qui pro variis rerum circumstantiis illud abbreviare potest: L. 10. pr. ff. de his qui not. infam. prout in Patria novem præfixi sunt menses in supra alleg. Ordinat. Renov. §. 9. verb. *Die Frau ihren Mann drey viertel Jahr.* ex hac procul dubio ratione, quoniam ex Medicorum principiis & experientia teste, ordinarius quasi naturæ cursus est, ut mulier uterum novem menses gerat. Quod si vero vidua intra hoc tempus alteri festinaverit nubere; præter infamiæ penam omnia, quæ ex defuncti mariti bonis consecuta est amittit, & liberis prioris matrimonii, vel aliis heredibus legitimis restituere debet, solo usufructu per vitæ dies apud matrem manente: sed & hunc usumfructum amittit, adeoque omnia quæ ex demortui bonis percepit, vel liberis prioris matrimonii, vel aliis defuncti heredibus, statim cum omni causa restituere tenetur, si ex altero marito intra hoc tempus pepererit. L. 1. 2. & Auth. Eisdem pœnis. C. de secund. nupt.

*Pœna viduarum  
quæ intra tempus  
luctus secundas  
nuptias festina-  
verint.*

## §. XXI.

*VI. Generale: de  
mortuis nil nisi  
bene.*

Sequitur Generale sextum, communissimum & notissimum omnibus: de mortuis nil nisi bene. Quanta cum diligentia saniores ethnicorum hanc regulam observaverint, hæc in aliis illorum præcepta docent: defuncti iniuria ne afficiuntor: de mortuo non riseris: defunctum non maledictis afficias, sed beatum prædices, & quæ sunt alia. Et profecto pugnandum non est cum manibus, nec eos affici decet iniuria, qui hac vita sunt defuncti. Nam & pium est, eos sacros dicere qui è vita discesserunt, & iustum, his qui esse desierunt abstinere, & civilium inimicitiarum aliquando modum statuere, nec in infinitum progredi sinere. Quantopere vero hæc ipsa regula iustissima convertatur, experientia comprobatur. Nam hæc hominum proli dolor fere natura communis est

est & conditio, non tantum de viventium actionibus, antequam ea, quæ ad excusationem & innocentiam demonstrandam faciunt, examinata fuerint, verum de mortuis etiam, & quidem maximam partem finistre iudicandi: cum tamen & rationis lumen, & cumprimis sapientissimum nostri Salvatoris effatum dicitur: quod ea quæ nobis fieri nolumus, nec alteri faciamus ipsi. Quam maxime vero humanitati bonisque moribus contrariatur, de salute defunctorum æterna iudicandi, pium enim est, charitatem erga mortuos quoque testari, & ideo illi, qui in Dei sunt iudicio, non ab hominibus sunt iudicandi. Can. 14. Dist. 23. Solus enim Deus scrutator est & investigator pectorum nostrorum, Illius infinita est misericordia, qui peccatorem maximum non rejicit, si modo vel in fine vitæ suæ veram agat pœnitentiam, & Christi Salvatoris nostri meritum apprehendat. Quamvis enim fera pœnitentia raro vera sit, vera tamen exemplo latronis in cruce, nunquam est fera. Hinc rectissime veteres de propria dixerunt salute iudicandum esse ex canone fidei, de proximi vero salute ex canone charitatis. Nihil igitur ingenuo viro indignius, quam eos incessere lingua, qui respondere amplius nequeunt, id siquidem tam turpe habetur, quam cum larvis vel umbris luctari. Ab ipsis etiam Legibus hæc improbantur: hinc variæ pœnæ constitutæ sunt in eos, qui defunctos iniuria afficiunt: sic v. g. Legarii privantur legato suo, si defunctum restatorem gravis delicti reum faciunt, vel ipsi status controversiam movent, vel infaustas adversus eum voces iactant. L. 1. & 9. §. 1. & 2. ff. de his quæ ut indig. aufer. Contra mors prævisâ & præmeditata iuramenti loco habetur, & testium in iuratis elogis ipsorum morte corroboratis, si bonæ famæ & existimationis in vita fuerint, fides attribuitur. Ferd. Christ. Harpprecht. in Consult. Crimin. & Civil. Conf. 7. n. 110. seqq. Gail. L. 2. O. 43. nec quisquam immemor salutis æternæ præsumitur: L. fin. C. ad Leg. Jul. repet. can. 26. Cauf. 1. quæst. 7. quamvis alterum illud brocardicon minime me lateat, quo perhibetur: non omnem morientem præsumi Johannem Evangelistam.

§. XXII.

Cum igitur ex modo dictis pateat, quod defuncti nulla  
D 2                                                  verbali

*VII. Generale: nec demortuorum sepulcra, multo minus illorum cadavera lædenda, spolianda, vel quo modo violanda esse.*

*Quomodo sepulcrum violetur, & qua piena violator afficiatur.*

*Quomodo puniatur is, qui ipsum cadaver aut ossa lædit, sive plebeius fuerit, sive nobilis.*

verbali iniuria sint affiendi; fluit inde Generale septimum: Nec sepulcra demortuorum, multo minus illorum ipsa Cadavera lædenda, spolianda, vel quoquo modo violanda esse. Damhouderius quidem in Prax. Rer. Crim. cap. 111. arbitratur, nostris temporibus materiam de sepulcro violato non amplius in usu esse, his enim verbis hoc ipsum caput claudit: ut paucis absolvam, quia hac tempestate Ecclesia abunde providit de Cæmeteriis, hoc crimen in diffuetudinem abiit, parumque hæc rubrica in usu est, ideo ingenii vires in ea exercere supervacaneum foret. Prosper autem Farinacius in Pract. Crim. Lib. 1. tit. 3. quæst. 20. n. 114. quem allegat Berlich. Part. 5. Concl. 47. n. 9. rectius in contrarium annotat, quod hominum audacia & nequitia, & facinorosorum multitudo adeo excreverit, ut, si possent, nedum ad sepulcra & Cæmeteria in Ecclesiis posita, sed ad Cælum manibus pervenire, procul dubio illud spoliarent. Quare de pœna tam eorum, qui sepulcra quoquo modo lædunt, quam illorum, qui Cadavera ipsa contrectant, aliquid dicendum erit. Violatur autem sepulcrum demolitione, evulsione cespitis, & eversione terræ sepulcri, motione lapidis, nec non spoliatione ornamentorum de Sepulcris. L. 2. & 3. ff. de sepulc. viol. L. 4. & 5. C. eod. Si quis igitur alicuius frangit aut aufert saxum, aut lapidem sepulcralem, imaginem, columnam, aut alia sepulcralia ornamenta; is condemnandus est restitutione rerum earundem ablatarum, contra illius sepulti veros posteros & heredes, & deinde multa centum aureorum, L. 3. pr. ff. de sepulc. viol. quinimo Jure Codicis, decem pondo auri. L. 4. C. eod. tit. Qui vero temerarius præsumit è sepulcris eximere ipsum Cadaver exanime, aut ipsius ossa ulla, aut reliquias quasvis; is gravior, nempe capitaliter puniendus est, summoque supplicio afficiendus, potissimum si plebeius fuerit: si vero nobilis, dammandus est perpetuo exilio, nisi vi & armata manu id fecerit, & aggressus fuerit more latronis, tunc enim capitaliter plectendus est. Vid. Damhoud. supra alleg. cap. 111. conf. etiam Berlich. Part. 5. Concl. 47. per tot. ubi simul casus proponuntur, quando pœna de sepulcro violato vel plane non locum habeat, vel alia mitior imponatur. Vid. quoque Carpz. in Prax. Crim. Part. 2. Quæst. 83. n. 53. usque 66. ibique varia præiudicia, ex quibus illud quod dicit, n.

66. continetur adponere placet: Hat einer von Adels, B. von H. genannt, kurz verrückter Zeit, aus lauter Frevel und Muthwillen zu Lanz in der Kirchen, da Georg Pauer, euer Schwester Mann begraben liegt, desselben Grabe-Stein, darauf euer Adelsch Wapen gehauen und gebildet gewesen, euch und eurem Geschlecht zu Schimpf und Nachtheil, zerschlagen, so wird er dero halben mit der Strafe, so in eurem Kayserlichen Adels-Brief, des Copy ihr uns zugeschicket, einverleibet, billig belegt, und mag darüber von deswegen, daß er den Grab-Stein zerschlagen, vermöge gemeiner beschriebenen Kayserl. Rechte, als ein Beschädiger des Begräbnis, um 10. Pfund Goldes in Straf genommen werden. W. R. W. M. Jun. A. 1569. ad consultationem nobilis à Limpach.

§. XXIII.

Et in hisce generalibus hucusque propositis prima Tractationis huius pars absolvitur, cum pro instituti mei ratione, quam supra §. V. exposui, consideraverim hactenus, quæ sepulturæ honestæ sint communia. Accedo igitur ad caput secundum, ea iam, quæ solennis sepulturæ in gradu excellentiori propria sunt expositurus. De sepulturis autem Magnatum heic loci sermonem esse, quarum multo plures deprehenduntur solennitates & ceremoniæ, quam quas supra §. XI. recensui, quivis facili negotio intelligit. Hæc ipsa vero materia, quoniam eiusmodi solennitates & ceremoniæ pro conditione Regionum nimium variant, opus desiderat absolutissimum: egomet autem potiora saltem & maxima quidem brevitate in medium proferre mecum constitui. Huc ergo primum refero Græcorum morem, qui olim defunctos vino & unguento inspergere, cumque odoribus perfusos urnæ includere, & linteo velare solebant. Syri corpora myrrha, aloë, cedro, melle, sale, cera, bituminè, odoribus & unguentis delibuta condiebant. Messeny Optimates coronatos & candida veste velatos efferebant. Speidel, voc. Begräbnis. Apud Italos usitatum est, & olim quoque fuit, cadavera defunctorum pretiosissimis vestibus induta, & lectis splendide exornatis imposta, palam publice efferi. Sic adhuc apud nos Germanos Illustres & nobiles personæ plerumque vestibus

*Transitus fit ad solennia quæ in morte & sepulturis Magnatum conspiciuntur.*

*Hæc solennitates & ceremoniæ pro conditione nimium variant.*

*Mores Græcorum, Syrorum, Messenorum, & Italorum referuntur.*

*De Germanorum Illustribus*



✻ nobilibus  
personis.

Ritus Pontificio-  
rum, quando  
Archiepiscopi &  
Praelati cum Pal-  
lio sepeliuntur,  
improbatur.

Querimonia Ja-  
cobi, Archiepiscopi  
Moguntini de  
hoc Pallio.

Jure Civili cave-  
rur, ne cum cor-  
poribus ornamen-  
ta condantur.

pretiosis exornantur & induuntur, postea gladiis & pugionibus, scrinio impositis, palam publice efferuntur, ac tandem Cenotaphia in memoriam ipsorum eriguntur, & vexilla in Ecclesiis affiguntur. Illud tamen probari non potest, quod de Pontificio Jure Archiepiscopi & Praelati cum Pallio & ornatu Ecclesiastico sepeliantur, cap. 2. X. de auro. & usu Pallii. Episcopos enim investitos sepeliri nefas ducitur de illo Jure, idque ob reverentiam Characteris quo fuerunt insigniti. Pallium autem viginti quinque millibus aureorum redimendum est, quod admiratur Sleidanus Lib. 23. inquit, Pontificem admodum care solere vendere suum linum. Aus dem einzigen Erz-Bisum Maynz wurden vor die Confirmation eines Erz-Bischofs bey Menschen Leben sieben 25000. das ist 175000. Gulden nach Rom geliefert, mit grossen Beschwerden der Unterthanen. Dahero Jacobus Erz-Bischof zu Maynz, als er sterben wolte, mit klagender Stimm sagte: Es fräncke ihn nicht, das er sterben müste, und sein vorstehender Tod schmerze ihn nicht so sehr, als das seine arme Unterthanen wiederum vor das Pallium eine so grosse Schatzung geben müßten. Naurahl. Tract. supra cit. Theorem. 69. Repugnant hæc Juri Civili, Ulpianus enim in L. 14. §. 5. ff. de Relig. & sumt. suo. recte monet, cavendum esse, ne cum corporibus ornamenta condantur. Et profecto nimia sumtuositas vivis nocet, mortuis autem haud prodest, quippe qui nulla re amplius indigent, & vel amico ferali, seu fasciis linteis sunt contenti. Quare & inepta vocatur voluntas eius, qui de ornamentis secum condendis in testamento præcepit. L. 113. §. 5. ff. de Legat. 1. Aedificia igitur cineres tegant: columnæ vel marmora ornent sepulcra: talenta non teneant qui vivendi commercia reliquerunt. Imo culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viventium. Detrahantur itaque comis mortuorum corollæ, viventium eæ lambant tempora: digiti exonerentur annulis, & penes heredes insculpta aut patris aut familiæ imago maneat: vestes palliaque subducantur cadaveribus, & pauperum latera, nudosque cingant: calcei egentibus substernantur, quorum copiam, postquam matri, terræ, redditus fueris, vicinia quævis suppeditabit. Legi hæc possunt apud Speidel. in Spec. Jurid. sub voce Begräbnis.



§. XXIV.

Ad solennitates quæ adhibentur in sepulturis Magnatum, *Reliquæ solenni-  
tates recensentur.* porro referri merentur nœniæ & conciones, quæ plerumque ad eo maiorem splendorem typis exprimuntur: pulsus item omnium campanarum, non illo solum die, quo funus ducitur, sed qui quocunque die per integram horam, & plures septimanas reperitur: lapides quoque sepulcrales, & id genus alia, cum primis etiam sepulcra familiaria. Nec enim hodie defunt Regum, Principum, aliæque excellentes Familiæ, *Huc etiam per-  
tinent sepulcra  
Magnatum fa-  
miliaria.* quæ sua monumenta familiaria & sepulcra certa in certis locis habent. Sic Gallorum Reges ad S. Dionysium, Angli ad Londinum, Poloni Cracoviæ, Dani Rotschildæ, Borussi Regimonte, Saxones Friburgi, Brandenburgenses Berolini, Duces Wûrttembergici olim Tubingæ nunc Stutgardiæ; Me- gapolenses Severini, Pomerani Wolgasti, Holfati Slesvici, Speidel. dict. vocab. *Begråbnis*. Quanquam enim Reipublicæ interfit, diligenter præcaveri, ne tandem frequentia & multitudine sepulcrorum id efficiatur, ut civitas magis à mortuis quam à vivis incoli videatur; id tamen omnino concedi *In Ecclesiis Cada-  
vera Magnatum  
sepelire iniquum  
non est.* potest, ut Magnates & personæ illustres in urbe & Ecclesiis humentur. Sic & Majoribus olim dignitatis causa placuit, corpora quorundam in primis Martyrum in atrio aut porticu, vel in exedris Ecclesiæ sepeliri. can. 15. caus. 13. quæst. 2. Haud enim superstitiose statuendum est, quod in Cæmeterio saltem corpora demortuorum terræ mandari necesse sit, postquam sacra in contrarium extant exempla. Sic sepultus legitur Rex Davides in Civitate, 1. Reg. cap. 2. v. 10. Actor. cap. 2. v. 29. nec non Jojadas, 2. Chron. cap. 24. v. 16. & Pro- pheta Samuel in domo sua, 1. Sam. cap. 25, v. 1.

§. XXV.

Sed de Epitaphiis, quæ & ipsa ad solennitates de quibus ago eminentiores spectant, quedam adhuc dicenda restant. *Epitaphia frivo-  
las quandoque  
continent gloria-  
tiones.* Naurah. equidem cit. Tract. Theorem. 71. nec sine ratione, quam variæ, inquit, ipsi Epitaphiis, sepulcraliumque inscrip- tionibus adhuc sæpe insunt de rebus vitiosis & frivolis glo- riationes? Quando alius corporis sui formam aut robur, alius

alius ingenii sui acumen, alius varias peregrinationes, alius eloquentiæ aut fortitudinis suæ vim, alius divitias & honores suos, alius suam in hostibus etiam sepeliendis humanitatem & pietatem, alius victorias & prælia, alius denique huius, alius alterius artis vel virtutis præstantiam iactat, quæ tamen à morte neminem eorum immunem præstare potuerunt. Quædam item Epitaphia, pergit idem Naurah. eod. Theorem. eo fine posita videntur, ut inanibus quæstiunculis posteros divexent, quale est illud prope Bononiam in quadam Villa: Aelia, Lælia, Crispis, nec vir, nec mulier, nec androgyna, nec puella, nec iuvenis, nec anus: nec casta, nec meretrix, nec pudica, sed omnia. Sublata neque fame, neque ferro, neque veneno, nec igne, nec peste, sed omnibus. Lucius Agatho Priscius, nec maritus, nec amator, nec necessarius: neque mœrens, neque gaudens, neque flets. Hanc, nec molem, nec Pyramidem, neque sepulcrum, sed omnia: scit & nescit, cui posuerit. Hoc est sepulcrum intus cadaver non habens: hoc est cadaver extra sepulcrum non habens, sed cadaver idem est, & sepulcrum sibi. Quicquid eius sit, Magnatum magnorumque Virorum laudes, virtutes & merita ad posteros quoque per inscriptiones & Epitaphia propagare, nec prohibitum nec iniquum est: quinimo iure suo Magnatibus debentur, cum iisdem & aliis addatur stimulus, magnorum exempla, quæ magnam vim habent, imitandi. Maneat ergo usus, abusus utique tollatur. Ex Epitaphiis arrident ea, quæ apud Lehmann. in Chron. Spirensi leguntur, & quidem Lib. 5. cap. 3. p. 388. Imperatoris Ottonis I. cognomine magni, qui A. C. 973. demortuus, & Magdeburgi sepultus fuit, quod paucissimis sed elegantissimis verbis sequentibus comprehensum est:

*Quædam inanibus quæstiunculis posteros divexant, quod ex allegato exemplo patet.*

*Epitaphium Imperatoris Ottonis I.*

*Tres luctus cause sunt hoc sub marmore clausæ:  
Rex, Decus Ecclesiæ, summus honor Patriæ.*

*Imperatoris Conradii III.*

Alterum est Imperatoris Conradi III. Bambergæ A. C. 1152. demortui, & Spiræ sepulti, quod idem Lehman. annotavit Lib. 5. cap. 49. p. 493.

*Qui vestes geritis pretiosas, qui sine fine  
Non profecturas accumulatis opes:  
Discite, quam paucis opibus post funera sitis  
Contenti, saccus sufficit atque lapis.*

*Cur-*

*Conradus iacet hic: qui tot castella tot urbes  
Possedit, tumulo clauditur iste brevi.*

Succedant alia quaedam Epitaphia, & quidem B. D. Martini Lutheri filiaē Magdalenæ, ut & filii, iidem Martini Lutheri, quæ deprompsi ex Differtatione admodum eleganti D. Joh. Frid. Mayeri, SS. Theol. D. P. P. Suec. Regis, quondam Confiliarii in Sacris Primarii, & ad Div. Jac. Pastor. Hamb. de Catharina, Lutheri Coniuge. Hamburg. die 17. Febr. A. 1698.

Epitaphium ab ipso Patre filiolaē concinnatum §. 20. alleg. Differt. ita legitur:

*Dormio cum Sanctis hic Magdalena, Lutheri*

*Filia, & hoc strato tecta quiesco meo.*

*Filia mortis eram, peccati semine nata,*

*Sanguine sed vivo, Chryste, redempta tuo.*

*Die Septembris 20. Anno 1542. etatis suæ 14.*

Lutherus, secundo genitus Lutheri filius, etiam cognomine Martinus, diligentem Theologiæ operam navavit, Consulisque Wirebergenſis Joh. Heiligeri filiam in matrimonium duxit: decessit autem ibi sine prole. Illius Epitaphium §. 21. cit. Diff. his verbis legitur:

*Hac Martinus humo dormit post fata Lutherus,*

*Cui Pater Helias tertius ille fuit.*

*Nomen idem cum Patre, eadem cum Patre manebat*

*Nixa fides meritis, maxime Chryste, tuis.*

*Isque Heiligero natam de Consule ducens*

*Annam legitimo iunxit amore sibi.*

*Hinc celebrem laudem laudata à Virgine duxit,*

*Mens erat bis eadem, par amor, una fides.*

*Nil stabile est terris, vix quinque peregerat annos,*

*Mors rupit grati vincula coniugii.*

*Sed nunc arce Poli vivit, terrisque morante*

*Pro Socero & Chæra coniuge vota fecit;*

*Letaturque, die quo reddita corpora vitæ*

*Convenient Christi Judicis ante thronum.*

*D. Martini Lutheri Filia, Magdalena.*

*Eiusdem Filii secundo geniti, iidem Martini Lutheri.*

*Acter-*

*Aeternumque Dei vultu & sermone fruuntur,  
Splendida luce nova Justitiaque Dei.*

*Obiit anno Christi 1565. die 3. Martii.*

Adde Justi Lipsii Epitaphium, quod legitur Lovanii in  
Templo Franciscan. ex Tract. Naurah. in Additam. Pract.  
ad Theor. 91. p. 434.

*Justi Lipsii.*

*Quisquis heic sepultus, quæris? Ipse edisseram,  
Nuper locutus & stylo & lingua fui,  
Nunc alteri licebit: Ego sum Lipsius.  
Cui literæ dant nomen, & tuus favor.  
Sed nomen: Ipse abiit. Abiit hoc quoque.  
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.  
Vis altiore voce me tecum loqui?*

*Humana cuncta finus, umbra, vanitas,  
Et scenæ imago, & verbo ut absolvam, nihil.  
Extremum hoc te alloquor:*

*Aeternum ut gaudeam tu apprecare.*

*Justus Lipsius vixit A. 58. mens. 5. A. O. C. 1606.  
decim Cal. April.*

*Ferdinandi III.  
Hispaniæ Regis  
sententia de Epi-  
taphiis & Sta-  
tuis.*

Finio & hanc de Epitaphiis materiam historia Ferdinandi  
III. Castellæ Legionis & Hispaniæ Regis, qui, ut idem Nau-  
raht. in Addit. Pract. ad Theor. 73. ex Roderico Sancto re-  
fert, morte vicinus cum interrogaretur, quale sepulcrum aut  
statuam sibi poni iuberet: immaculata, dicebat, quantum li-  
cuit, vita & res à me gestæ sint mihi sepulcrum & statua,  
aliam non posco.

## §. XXVI.

*De sepultura ho-  
nesta minus so-  
lemnii.*

Ordinis, quem supra §. V. elegi, nunc exigit ratio, ut  
de sepultura honesta, quæ Doctoribus audit minus solennis,  
pauca quædam edisseram. Fit illa ceremoniis temperatis, ita  
quidem, ut una vel plures earum solennitatum, quarum  
§. XI. supra quinque enumeravi, omittantur, ipsum vero  
cadaver per viros honestos efferatur, & in Cæmeterio hume-  
tur.

tur. Has temperatas ceremonias vel ipse homo ad parcen- Eandem dicitur  
 dos sumtus, vel etiam Magistratus in funerationibus paupe- vel homo ipse,  
 rum & inopum præscribere potest. Sed & ob alias circum- vel Magistratus.  
 stantias temperantur quandoque ceremoniæ à Magistratu,  
 v. g. in illis, qui sine animo fraudulentò, ex melancholia,  
 furore, aliave animi impotentia mortem sibi consciscunt,  
 quippe quos honesta privare sepultura, nimis rigorosum,  
 nedum impium esset, cum commiseratione potius digni ha-  
 beantur, præsertim si vitæ antea bene transactæ sufficiens  
 adsit testimonium. B. Linck. ad Decretal. Lib. 3. Tit. 28. §. 3.  
 Catalogus autem eorum hominum quibus demortuis hæc mi-  
 nus solennis sepultura sit adiudicanda, Domini Judicis arbi-  
 trio prudenti relinquitur, cum omnes circumstantiæ probe  
 sint considerandæ: sic enim v. g. nec illis qui in flumine vel  
 puteo inveniuntur, honesta statim sepultura deneganda est,  
 cum non præsumantur semet præcipites dedisse.

### §. XXVII.

Sed satis iam de sepultura honesta. Excipit eandem in- De sepultura in  
 honesta, quæ subdividitur in humanam vel simplicem, & in honestâ humanâ.  
 caninam sive asininam, de quibus nunc pluribus tractandum  
 est, & primo quidem de humana vel simplici, sive inho- Hæc fit vel ex-  
 nesta in specie tali. Hæc fit vel extra Cæmeterium, vel in tra Cæmeterium,  
 eiusdem margine. Quamvis enim multis non omnis denega- vel in eiusdem  
 tur sepultura, multi tamen honesta non sunt digni, adeoque margine, vel  
 absque ceremoniis in loco etiam remoto & separato sepeli- alio loco remoto  
 di. In hac autem parte Domini Judicis arbitrio plurimum & separato.  
 committendum esse, quilibet mecum fatebitur. Mihi suffi-  
 ciat enumerasse eos, quibus ex Pontificii Juris principiis se- Quibus secun-  
 pultura in Cæmeterio denegatur, unde facile cognosci po- dum principia  
 terit, quænam cadavera iuxta Protestantium dogmata hac in- Pontificiorum  
 honesta humana sepultura sint afficienda. Canones eo re- sepultura in Cæ-  
 ferunt 1) infideles. can. 27. & 28. Dist. 1. de Consec. Huic meterio denega-  
 autem catalogo Turcas, Gentiles & Judæos inferendos esse tur: & quænam  
 dubio caret, qui ultimi, si propriis Cæmeteriis egeant, plu- ex his Protestan-  
 rimis in locis prope muros Cæmeteriorum Christianorum tes approbave-  
 sepeliuntur. 2) Hæreticos. cap. 8. X. de Hæret. de his tam- rint, quæve re-  
 men longe aliter Protestantes sentiunt quam Pontificii. 3) iccerint.

E 2

Infan-

Infantes nondum baptizatos, quod autem Protestantes merito rejiciunt, adeoque si Protestantibus & Pontificiis Cæmeterium fuerit commune, neutiquam illis inhiberi potest sepultura infantum, etiamsi nondum baptizati fuerint. Hermann. Teutsch Jurist. Lexic. Part. I. voc. Gottes-Acker. 4) Excommunicatos, quorum ossa, si ab aliorum defunctorum discerni possunt in Cæmeterio, exhumari & projici debent. can. 3. Caus. 24. quæst. 2. cap. 5. & 24. X. de privileg. cap. 8. eod. in 6to. Hoc idem obtinet apud Protestantes, unde Ordinatio Eccles. Magdeburg. cap. 22. §. 30. prout eandem allegat Hermann. loc. & voc. alleg. ita disponit: Und ist auffser allen Zweifel, wann einer, so excommunicirt, und bey der Kirche in geistlichen Bann gerhan, ohne Erkenntnis seiner Sünden dahin sterben würde, daß er als ein abgeschnittenes Gliedmaß der Kirchen, an einem sondern Ort ohne Ceremonien soll begraben werden, und niemand der Leiche folgen, als denen es von der Landes-Fürstlichen Obrigkeit, Regierung und Consistorio erlaubt und befohlen wird. 5) Qui in Torneamentis aut Duellis perierunt. cap. 1. & 2. X. de Torneam. quod Protestantes etiam observant. 6) publicos peccatores & sceleratos, quorum referunt Eucharistiæ contemptores: cap. 12. X. de penit. & remiss. usurarios manifestos: cap. 3. X. de usuris. blasphemos: cap. 2. X. de maledic. decimas Ecclesiis non reddentes: cap. 19. X. de decim. quod autem Protestantibus est incognitum. Canonicos & monachos, contra votum paupertatis proprium quid habentes: cap. 4. X. de stat. monach. quod itidem cessat apud Protestantes. Clericos concubinarios notorios: can. 6. Dist. 32. nec non interdictos. Clem. 1. de Sepult.

## §. XXVIII.

*Investigatur ulterius, quorum cadavera inhonesta quidem, non ramentum canina sepultura affici possint, quod aliquor exemplis declaratur* Præter enumeratas personas ulterius investigandum est, quorum cadavera inhonesta quidem, nondum autem canina sepultura possint affici, qua de re unum & alterum exemplum adducendum erit. Sic, quando Reus adhuc vivus crimen quidem confessus, aut de eo convictus fuerit, sed de tempore delicti, an hoc vere sit perpetratum, nondum constet, quo casu nec vivo delinquenti mortis pœna irrogari potest; tunc

tunc nec mortuo reo cadaver macula affici debet, ut maxime etiam ex coniecturis & præsumtionibus veritas criminis sit colligenda. Ita pronunciarunt Scabini Lipsienses: Obwohl H. H. in scharffer Frage sich zu dem articulirten Straßenraub bekannt: diweil aber dennoch deswegen keine Erkundigung bey den Acten vorhanden; als mag auch, wann er gleich jezo versterben solte, mit seinem todten Körper nichts sùrgenommen werden, sondern es würde derselbe, jedoch ohne gewöhnliche Ceremonien, Gesang und Klang, durch den Todtengraber auf den Kirchhof gelegt und begraben. Vid. Carpz. Prax. Crim. Part. 3. Quæst. 131. n. 39. & 40. ibique alleg. Quinimo, quando reus de crimine quodam licet atrocissimo inculpatus, attamen nondum confessus & convictus, minus vero condemnatus mortuus fuerit; huic neutiquam sepultura est deneganda. Idem Carpz. alleg. loc. n. 35. & 36. ubi præiudicium, cuius verba finalia: So mag auch an seinem Körper anjezo nichts vorgenommen werden, sondern es wird derselbe an dem Ort, da er gefunden worden, ohne Ceremonien billig begraben. Quid autem? si reus de crimine confessus vel convictus & ad supplicium mortis condemnatus, antequam sententiæ executioni manderetur mortuus fuerit: nec hoc casu in cadaver defuncti animadverti poterit, dummodo crimen perpetratum non fuerit ex numero eorum, quæ pro atrocissimis habentur, qualia sunt læsæ majestatis, incendii, veneficii &c. quod probat Carpz. cit. loc. n. 41. 42. & 43. cum hoc præiudicio: So mag wider seinen todten Körper ferner nichts vorgenommen werden; sondern es wird derselbe vom Todtengraber auf den gemeinen Kirchhof, jedoch ohne die gewöhnliche Ceremonien, billig begraben.

§. XXIX.

Ex his casibus facile patebit, quorum cadavera extra cæmeterium vel in eius margine, absque tamen ullis solennitatibus humanda sint. Progredior igitur ad sepulturam, quæ *De sepultura canina sive asinina, & quibus illa dicitur.* Doctoribus canina sive asinina vocatur, qua scilicet cadavera per carnificem projiciuntur in locum sædum, inter cadavera facinosorum aut brutorum. Berger. Oecon. Jur. Lib. 2. Tit. 1. §. 3. not. 1. Hac pœna afficiuntur illi, qui mortem

E 3

sibi

sibimet ipsis animo fraudulento inferunt, modo delictum perfecte consummatum, & mors inde secuta fuerit: horum enim cadavera per fenestras deiecta, vel sub domus limine extracta in locum infamem & cadaveribus destinatum projiciuntur. Carpz. Part. 1. Quæst. 2. n. 30. Sic etiam sapius cadavera reorum in reatu mortuorum, à carnifice è civitate trahuntur, & penes furcas aut patibulum humanantur, de quo vid. Carpz. Part. 3. Quæst. 131. n. 45. seqq. Sed nimis longum foret omnes classes eorum facinorosorum recensere, quorum cadavera hac canina vel afinina sepultura sint afficienda: nam in genere notandum est, eandem omnes illos mereri, quibus Principis aut Magistratus iussu, propter facinora & admissa crimina, per manus carnificis vita naturalis violento modo adimitur. Et eiusmodi facinorosi sive viri fuerint sive uxores, dum publicam tranquillitatem variis modis vexarunt, ne luctu quidem digni reputantur. L. II. §. 3. ff. de his qui not. infam. Cum vero Principi & Magistratui Christiano, qui optimo iure Rempublicam ab eiusmodi facinorosis purgat, salus inprimis animæ curæ cordique sit, tam pretioso lytro redemptæ; necessitatis est, ut eiusmodi candidati mortis per Ecclesiæ ministros informentur, & ad mortem rite præparentur, cum iis in captivitate hætenus detentis, in quamplurimis locis non tribuatur occasio, conciones sacras audiendi. Maxime igitur optandum foret, ut, qui morti destinantur, ob adductam rationem citius, quam ut passim moris est binis tantum ante executionem diebus, Pastoribus Ecclesiæ, eorundemque informationi traderentur, cum & ipsius Imperatoris Caroli V. Const. Crim. Art. 79. non duos sed tres concedat dies ad mortem violentam præparandis, in verbis: soll das zuvor drey Tag angesagt werden, damit er zu rechter Zeit seine Sünd bedencken, und beichten möge. Neque tres tantum positive & cum plurium exclusionem dies, intelligendi sunt, sed negative potius & ne pauciores admittantur, adeoque tantum temporis tacite includitur, quantum possit sufficere ad finem pœnitentiæ obtinendum. Præter hæc largior vini usus, quod ipso executionis die plerumque damnatis traditur, ut fere quid agant aut loquantur nesciant, merito improbatur, cum illud fiat non sine præsentis animæ periculo: & hinc nec ipse Imperator

*In genere omnes illi hac pertinent, quibus propter facinora Magistratus iussu vita naturalis per carnificem violento modo adimitur, qui ne luctu quidem digni indicantur.*

*Quomodo eiusmodi miseri tractandi & ad mortem præparandi sint.*



rator Carolus V. eiusmodi facinorosis supplicio perituris per-  
mittit nimium potus usum, quin potius expresse prohibet,  
ne ratio eorum obstruatur, & sic pietas & pœnitentia im-  
pediatur, dict. Art. 79. in verbis: Und ihm in dem Ausfüh-  
ren und sonst nicht zu viel Trincken geben, dardurch sein Ver-  
nunfft gemindert werde.

§. XXX.

Restat ut brevibus dispiciam, num cadavera eiusmodi *Cadavera puni-*  
punitorum Dominis Medicis & Chirurgis ad anatomiam tradi- *torum ad anato-*  
possint? Hoc quamvis in Jure nostro non decisum reperia- *miam tradi posse*  
tur, affirmativa tamen ubivis locorum obtinet, modo con- *affirmatur.*  
sensus Principis aut Magistratus accesserit. Nec enim contra  
humanitatem peccatur, nec cuiquam infertur iniuria per dis-  
sectionem corporis humani, si causam utilitatis publicæ per-  
pendamus, propter quam iniuria haud fieri censetur, maxi-  
me cum & alias quod in commune omnibus prodest, priva-  
torum utilitati debeat anteferri. L. 33. ff. de Injur. Certum  
siquidem est quod dissectio huiusmodi à Medicis publici boni  
intuitu suscipiatur, & ut exinde perfectior medicinæ cognitio  
comparari, & ad alios curandos studiosi peritiores evadere ac  
circumspectiores accedere possint. Quin nec cadaveribus ulla  
inde contumelia attrahitur, sed id potius commodi illis acce-  
dit, ut ossa sepeliantur & terræ mandentur. Domini Judicis  
tamen discretioni hoc relinquendum est, qui pro sua prudentia  
considerabit familiæ conditionem & dignitatem, an huiusmodi  
fit, ut illa reluctantè cadaver anatomix tradendum non sit,  
vel tradendum, sivilis fuerit familiæ & deploratæ conditionis.  
Hac autem anatomia perfecta, corpus humanum est, quod è  
manu Medicorum exceptum cives virique honesti terræ man- *Anatomia per-*  
dare possunt, quibus eapropter nulla plane macula infligitur: *fecta cadavera*  
infamia enim quæ ex contractu carnificis cadaveri infertur, *rectè humanantur.*  
per subsecutam Dominorum Medicorum infectionem plene  
tollitur, absurdumque foret opinari, unicùm carnificis con-  
tractum plus operari, quam tam frequentem & sedulam ho-  
nestissimorum virorum contrectationem. Adeoque nec  
coriarii quorum opera corium humanum concinnatur, ha-  
bent

bent cur se excusent, quinimo illos invitos autoritate Magistratus cogi posse certo certius est. Conf. Carpz. Prax. Crim. Part. 3. Quæst. 137. n. 72. seqq. ubi num. fin. 76. præiudicium de coriariis adiecit.

§. XXXI.

*De illis quorum cadavera relinquuntur insepulta.* Ultimo tandem loco de cadaveribus illorum adhuc videndum est, qui ne canina quidem & asinina sepultura digni indicantur, sed insepulti relinquuntur. Horum autem catalogo merito inscribuntur omnes illi facinorosi, quos non pudet atrocissima crimina perpetrare, ut sunt: criminis læsæ Maiestatis ac perduellionis rei, parricidæ, latrones, raptores, venefici, sodomitæ, incendiarii, & id genus alia: quibus propterea pro criminis admitti atrocitate modo dissectio corporis, cum lingua manuum ac pedum obruncatione: modo aquæ suffocatio: modo vivicomburium & pali ad ignes lentos affixio: interdum rotæ impositio: interdum suspendii pœna contingit: interdum etiam alterius generis supplicia irrogantur. Ubi quæritur: rectene Principes agant & Magistratus, quando suspensorum & rota punitorum cadavera insepulta relinquuntur? Multi enim arbitrati fuerunt, & arbitrantur forsitan adhucdum tam Theologi quam Jureconfulti, hoc repugnare Divino humanoque Juri: cum triste sit & deforme spectaculum cadaver hominis, tot annis in cruce suspensum, & aspectui prætereuntium expositum, dedecens prorsus nobilitatem illam, dignitatem & excellentiam hominis, qui præ omnibus aliis creaturis terrenis ornatus sit. Allegant insuper L. II. C. de relig. & sumt. fun. quando Imperatores Diocletianus & Maximilianus rescipserunt: obnoxios criminum, digno supplicio subiectos, sepulturæ tradi non vetamus. Addunt tandem rationes varias: videlicet, quod salus Reipublicæ sepulturam efflagitet, ne alias tætor ex cadaveribus proveniens aërem inficiat: porro, ne terra illa spectacula gravidis mulieribus, quæ sæpius visu in ea incurrunt, dum ad vias potissimum patibula ac rotæ collocari soleant, fiat noxia. Verum enim ex altera parte nec Theologi defuerunt nec Jureconfulti, qui pro iustitia harum pœnarum

*Horum catalogus indicatur.*

*Rationes adducuntur eorum, qui statunt, iniquum & iniustum esse, si cadavera mancant insepulta.*

*Eorum vero ra-*

pœnarum pugnarunt, nihilque iisdem contra rationem committitur, & recte quidem existimantur. Et sane secundum sententiam J. C. Saturnini in L. 16. §. 10. ff. de pœnis, propter frequentiam pravitatemque delinquentium aliquorum maleficiorum supplicia exacerbanda sunt, quoties nimirum multis personis grassantibus exemplo opus est. Adeoque recte J. C. Callistratus in L. 28. §. 15. ff. eod. famosos inquit latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos esse: ut & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, & solatio sit cognatis & affinibus interemtorum, eodem loco pœna reddita, in quo latrones homicidia fecissent. Nec obstat L. 11. C. de relig. & sumt. fun. supra allegata: nam primo hæc Lex de læsæ maiestatis & perduellionis crimine neutriquam, sed de illis quæ gradu minora sunt exaudienda est, & de his etiam gradu minoribus si accipiatur, illud tandem secundo sequitur, posse quidem Principem aut Magistratum, si hoc ab ipso petatur, rigorem pœnæ remittere, & ad sepulturam cadavera punitorum concedere; non autem id inde fluit, quod necessario id agere debeat, aut peccet, si faciat secus. Denique allatæ rationes parum movent: quod enim de periculo ex fetore cadaverum metuendo dictum est, nec ad omne tempus anni, quo supplicia exercentur applicari, neque etiam calidissima tempestate ex uno aut altero corpore tale quid tam facile contingere potest. Et per accidens etiam plane fieret, si ex aspectu cadaveris gravida mulier sentiret incommodum, quod hic eam ob causam plane non attenditur, cum publica salus privatæ omnino sit anteponenda: ne dicam quod ipsius gravidæ culpa heic versetur & interveniat, cum avertere faciem suam potuisset.

§. XXXII.

Cum igitur crimen læsæ maiestatis omnium delictorum quæ in homines committi possunt, gravissimum sit, pœna quoque ut exasperetur æquum est. Quid enim acerbum aut grave nimis est in homines tanti facinoris convictos? aut quis reprehendat quod in parricidas Reipublicæ decretum est. Hunc rei hujus criminis ceu omnium nefandissimi ac sceleratissimi, *Quomodo læsæ*

F

tissimi,

*majestatis crimen* tissimi, quandoque gladio, quandoque igne, quandoque  
*coërceatur.* dissectione in quatuor partes puniuntur, & quandoque etiam  
 feaveriori adhuc mortis genere. Quale supplicii genus in  
 Ordin. Crim. Art. 124. non solum approbatum sed & auctum  
 est: in ea siquidem cavetur, ut proditores Provinciarum,  
 Urbium, Principum, quorum Jurisdictioni & Imperio  
 subiecti sunt, prius prostrati in terram, per plateas ad  
 locum supplicii trahantur, aut ignitis forcipibus lacerentur,  
 postea vero in partes quatuor scindantur. Quodsi ergo  
 hæc pœna locum habet in proditoribus, qui tamen pro-  
 prie perduelles non sunt; multo magis ex paritate rationis  
 obtinebit in illis, qui hostili animo adversus totam Rempu-  
 blicam Romanam, vel ipsam Imperatorem, aut Principes  
 Electores quid moliti sunt. Carpz. Prax. Crim. Part. 1.  
 Quæst. 41. n. 94. Præterea arma seu insignia eius, qui hoc  
 crimen perpetravit delentur ac destruuntur: eiusdem domus  
 devastatur: omnibus bonis exuitur, quæ Fisco applicantur,  
 & sic eiusdem damnatur memoria. Carpz. alleg. loc. n. 12.  
 seqq. Aur. Bull. Tit. 24. in princip. §. 3. Inst. de publ. Judic.  
 L. 6. pr. & L. ult. C. ad Leg. Jul. maiest. Non autem  
 solum adversus Imperatorem, sed & contra Electores, Prin-  
 cipes, Comites, & Civitates Imperiales, qui omnes Impe-  
 rio subsunt immediate, hoc læsæ maiestatis crimen committi  
 posse, pluribus demonstravit idem Carpz. dict. Quæst. 41.  
 n. 59. seqq. Quinimo vel ipse conatus ultimo supplicio affi-  
 citur, & hic conatus extenditur quoque ad eos, qui in necem  
 Consiliariorum Imperatoris aliquid moliantur: sic enim L. 5.  
 pr. C. ad Leg. Jul. maiest. Quisquis cum militibus, vel pri-  
 vatis, vel barbaris, selectam inierit factionem, aut factionis  
 ipsius susceperit sacramentum, vel dederit, de nece etiam  
 virorum illustrium, qui consiliis & consistorio nostro inter-  
 sunt, senatorum etiam, (nam & ipsi pars corporis nostri  
 sunt,) vel cuiuslibet postremo qui nobis militat, cogitaverit,  
 (eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum,  
 puniri iura voluerunt) ipse quidem utpote maiestatis reus,  
 gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis.  
 Qua de re apud Carpz. modo allegatum n. 58. hoc legitur  
 præiudicium de nobili quodam D. S. qui in necem Serenissimi  
 Principis Dn. Georgii Rudolphi, Ducis Lignicensis, Cæsar.  
 Maest.

*Contra Electores,  
 Principes, Co-  
 mites, & Civi-  
 rates Imperiales  
 hoc crimen quo-  
 que committitur.*

*Ipsæ conatus ul-  
 timo supplicio  
 afficitur, qui &  
 ad eos extendi-  
 tur, qui in ne-  
 cem Consiliario-  
 rum Imperatoris  
 aliquid molin-  
 tur.*

*Præiudicium de  
 quodam nobili,*

Maieft. Confiliarii , ac Vicarii Silefiæ superioris ac inferioris qui necem inten-  
 conspiraverat, conducendo veneficum , qui ipsum interfice- debat Principis,  
 ret : So hat D. S. wegen solches böshaftigen Fürneh- domini sui dire-  
 mens, und daß er mit List, und durch hochverbottene zauberische cti, simulque  
 Mittel, Ewr. Fürstl. Gnaden als dem Lehen-Herrn, und Confiliarii Im-  
 Kayserlichen, auch zu Ungarn und Böhheim Königl. Majestät peratoris intimi.  
 Hochansehnlichen Geheimden Rath, Kämmerern, auch Ver-  
 waltern der Oberhauptmannschaft in Ober- und Nieder-Schle-  
 sien, nach Leib und Leben gestanden, seines habenden Lehen-  
 Guths sich verlustig gemacht, und mag hierüber wegen dieser, so  
 wohl anderer seiner begangenen und bekantten vielfältigen Miß-  
 handlungen anfänglichlichen zur Feimstatt geschleifet, folgendts mit  
 dem Schwerdt vom Leben zum Tod gerichtet, und nach beschehener  
 Execution dessen Körper andern zum Schrecken und Abscheu,  
 auf ein Rad geleyet und gestochten werden. De magna illa con-  
 spiratione, quam in necem Josephi I. Portugalliæ Regis in-  
 tendebat nefandorum malevolorum cohors, die 3. Sept. 1758.  
 optimum Regem sclopetis graviter vulnerans, publica scripta  
 prostant, & perduelles, inter quos Duces & Marchiones au-  
 tores referebantur, die 13. Jan. 1759. gravissima supplicia  
 perpeti debuerunt.

§. XXXIII.

Hæc tamen modo dicta supplicia eorundemque rigor, Extra crimen le-  
 qui post fata quoque extenditur, non in quibusvis, sed atro- sa maiestatis fa-  
 cisimis tantum criminibus locum habet, non autem in aliis cinorosis suppli-  
 quamvis enormibus facinoribus. Merito igitur improbatur cii rigorem per  
 ille pœnæ modus, quando reus trahæ illigatus ad locum iudi- accelerationem  
 cii iumento rapitur, qui sane valde periculosus nec facile de- mortis aliquo  
 cernendus est. Quis enim credat eiusmodi executione, si modo diminueret  
 reus trahæ alligatus capite resupino aut cadaveris instar extra- et mitigare non  
 hatur, ultimum illud folatium Evangelicum, quod miseris iniquum, sed po-  
 reis, & in ultimo agone iam constitutis Jura Divina & huma- cius Christianum  
 na concedunt, nec ipse Imperator Carolus V. denegat in est.  
 Ordin. Crim. Art. 102. non plane tolli, ad minimum non  
 valde diminui? Tali proinde modo supplicia sunt exercenda,  
 qui intra Christianæ disciplinæ regulas consistit, nec in bar-

bariem abit. Sic in pœna ignis mors communiter solet acce-  
 leari ita, ut in rogo ante per funem aut catenam palo arcæ  
 affixi strangulentur, vel alibi pro consuetudine loci admoto  
 pectori pulvere pyrio fere interficiantur, quam exquisitis-  
 mos ignis dolores sentiant. Nec minus spontanea & pro-  
 pria inquisiti confessio, ut & seria eiusdem pœnitentia sapius  
 Judicem commovent ad mitigandum mortis supplicium. Sunt  
 & aliæ causæ quæ mitigationem pœnæ suadent, & eo refer-  
 tur ætas impuberum atque minorum: quemadmodum incen-  
 diaryo tempore commissi delicti annum decimum quartum  
 nondum egresso pœna quidem ignis hac tamen clausula dictata  
 fuit, ut primum capite plesteretur, & executione peracta ca-  
 daver combureretur. Carpz. Part. 3. Quæst. 143. n. 56. Sic  
 etiam propter senectutem corporisque debilitatem quandoque  
 pœna mitigari solet. Idem Carpz. Quæst. 144. ibique præ-  
 iudicia. An? & quatenus furor, summaque ebrietas ab or-  
 dinaria pœna excusent, idem pertractat Autor Quæst. seqq.  
 145. & 146. Quid autem de muto & surdo statuendum sit,  
 idem Carpz. explicat Quæst. 147. qui distinguit, an mutus  
 & surdus intellectum habeat, & de crimine commissio testi-  
 bus fuerit convictus; quo casu ab ordinaria pœna delicti non  
 fit eximendus: quodsi vero horum alterutrum deficiat, tunc  
 non quidem ordinariam pœnam reo infligi, eum tamen ali-  
 qua extraordinaria bene plecti posse. Dubitari quidem pos-  
 set, quonam modo mutus & surdus ex delicto teneri debeat,  
 cum sensum non habeat nec intellectum, adeoque infanti  
 æquiparetur & furioso: L. 65. §. 3. ff. ad SC. trebell. L. 3.  
 §. 3. ff. de postul. accidit tamen sapius, ut mutus & surdus  
 intellectum habeat, unde fit quod testamentum facere possit,  
 L. 10. C. qui testam. fac. poss. nec non contractus inire qui-  
 re vel consensu contrahuntur: L. 4. §. 1. ff. de Pact. L. 48.  
 L. 52. §. ult. ff. de Oblig. & Actio. quare ergo non etiam  
 delinquere ac puniri poterit? Neminem enim fugit, quod  
 mutus & surdus licet non verbis, attamen signis & nutu pos-  
 sit mentem suam exprimere eamque & scripro aperire: quare  
 Scabini Lipsienses non dubitarunt gladii pœnam ordinariam dictare, ita  
 dolosum committenti gladii pœnam ordinariam dictare, ita  
 referente Carpz. cit. Quæst. 147. n. 24. De mutis & surdis  
 eiusmodi hominibus admodum memorabile exemplum ex

Joach.

*Varie cause que  
 hanc mitigatio-  
 nem suadent ex-  
 ponuntur.*

*De muto & sur-  
 do facinorosis  
 eum distinctione  
 tractatur.*

Joach. Camerar. hor. succis. Cent. 1. cap. 37. annotavit Speidel. in Spec. Jurid. voce: **Stumme**. Apud nos, inquit Camerarius, habemus adhuc adolefcentem & virginem, ex iisdem parentibus, & quidem celebri & honesto genere prognatos, qui peculiari acumine ingenii sunt præditi. Et licet mutos & surdos eos ambos natura procreaverit; tamen uterque scite legere & scribere elegantissime, nec non & rationes mercatorias computare potest. Ut autem hic ex nutu quæ sibi faciendæ sunt dextre percipit, & si deest calamus, gestulationibus suas cogitationes exprimit, nec non & in omnibus aleæ lufibus, qui apud nos usitati sunt, & non sine accurata ratiocinatione perfici possunt; excellit; ita illa acu, & ingeniosa textura alias puellas facile superat. Inter ceteras autem mirificas dotes quas illis natura compensavit, memorabile est, quod ex motu labiorum interdum percipere videntur, quid aliis loquatur. Unde videas eos conciones sacras sæpissime frequentare, ut aliquis non absurde dicere posset, videre intentis oculis visu eos haurire, quod alii auditu facere solent. Siquidem Orationem Dominicam aliasque pias preces quando volunt, absque suggestione aliisque adminiculis scribunt, Evangeliaque festis diebus destinata, non secus ac alii memoriæ commendant, ita ut expedite ea scribere possint. Quodsi in Templis salutiferum nomen JESU Christi profertur, hic pro ceteris in cætu, detracto capiti pileo, & genu flexo venerabundus conspicitur. Adeo natura veluti fidelis mater compensando sollicita & studiosa est, ne tanquam dura noverca merito accusari possit: quod enim in aliquibus sensibus adimit, in aliis restituit.

*Memorable exemplum de fratre & sorore, mutis ac surdis, excellentissimi ingenii profertur.*

§. XXXIV.

Quomodo spoliatores sepulcrorum & cadaverum religiose sepulcrorum puniantur, supra §. XXII. dictum fuit: hoc autem loco videndum est, qua pena plectantur illi, qui cadavera punitorum vel suspensorum spoliant. Non quidem ab illa spoliatione ad hanc, quam tracto, licet inferre: in illa enim iniuria fit tam ipsi defuncto quam eius cognatis, L. 4. C. de sepul. viol. hac autem non item, cum cadaveribus suspensorum iniuria inferri non possit. L. 2. ff. de cadaver. punit.



nit. Illic cadavera rursus ut plurimum sepeliuntur: hic non item, sed semper denudata & spoliata in scandalum præter-euntium relinquuntur. Illic Jus Ecclesiasticum violatur, quod hic etiam non contingit. Quinimo eiusmodi suspensis nec spolium proprie vel furtum fieri posse dicitur, cum nihil possideant. L. 1. §. 15. ff. si is qui testam. lib. esse iuss. Verum enim cum per eiusmodi spoliationem locus iustitiæ, qui publicus est, haud parum violetur, scandalumque non minimum præbeatur, si puniti & suspensi vestibus denudati in loco publico relinquerentur; non minori pœna digni esse videntur hi spoliatores ac illi, qui cadavera defunctorum violant atque spoliant. In nostro quidem Jure nihili certi de hoc casu constitutum habemus: at de Saxonico Jure eiusmodi delinquentibus pœna fustigationis decernitur, quæ sanctio ad ipsos quoque carnifices extenditur, cum nec illis cadavera suspensorum vel rotæ affixorum denudare permissum sit. Carpz. P. 2. Quæst. 83. n. 60. seq. Putarem ergo tali casu obviente spoliatores non minus pœna aliqua arbitraria, puta carcere, vel etiam pro qualitate delicti relegatione vel fustigatione puniri posse: quæ tamen fustigationis pœna tanquam rigorosa sanctio, ad eos non erit extendenda, qui non vestes, sed pecuniam aliasve res in vestibus occultatas suspensis furripiunt, quippe qui pœna carceris afficiuntur. Carpz. alleg. loc. n. 62. 63. ibique præiudicium. Longe vero severiori pœna puniri poterunt illi, qui cadavera, vel tantum partem eius de patibulis, ad usus magicos, vel ex alio malo proposito auferunt. Quamvis enim Electoralis quidem Saxonica Constitutio fustigatione, vel relegatione, vel alia pœna pro arbitrio Judicis eosdem puniri velit, pœnam autem arbitrariam Judex ad mortem usque extendere non possit; neutiqum tamen dubitandum est, quin, si aliæ circumstantiæ & qualitates delictum aggravantes concurrant, pœna mortis dictari possit. Memorabile præiudicium ex Joh. Bod. Tract. de Dæmonom. Lib. 5. cap. 5. Berlich. assert. de dulciario quodam Pistore Lutetiæ, qui è suspensorum carne arto-creata fecit, ac proin vivus crematus, domus eius everfa, &, ne in posterum denuo ædificaretur, interdictum fuerit. Vid. Berlich. Part. 5. Concl. 48. n. 23.

§. XXXV.



§. XXXV.

Sed vela nunc contraho: hætenus enim adducta, & de *Brevis Epilogus* re quidem non nova, nec insolita, sed quotidiana, pro in- cum voto, & gra- stituti ratione iam sufficient. Quæcunque his in paginis de- tiarum actione. prehendis, Benevole & Amice Lector, ex genuinis Legum fontibus, nec non Autoribus in Praxi probatissimis decerpta sunt atque collecta. Vix enim quicquam dici adhuc poterit, quod non dictum fuerit prius. Id saltem maxime dolendum, quod mortalium, ne dicam Christianorum, non pauci, non eo, quo quidem deberent, studio, mortem expendant, quæ tamen nos ubivis concomitatur & persequitur. Annon, quæso, maxima mortalium pars id fere agit, ac si vita perbrevis esset sempiterna, in quam plurima Secula duratura? cum tamen non ab hominum, sed à Creatoris nostri voluntate dependet unice, quam ætate, quave hora vitam cum morte commutare debeamus. O quam igitur felices, qui mortem, inevitabile fatum, diligenter & omni hora meditantur, & hunc unicum laborem maxime necessarium, graviter agunt! Agedum, eo nervos nostros intendamus omnes, ut ultimum vitæ nostræ terminum semper habeamus ante oculos, atque DEUM Triunum sincero timore atque amore veneremur, usque dum vita nostra temporali peracta, cadavera nostra, honesta sepultura in dormitoria sua illata, requiescant ab omni labore, novissimo die glorificata resurrectura. Faxit Deus omnibus felicissime! ut spiritus noster immortalis iubilare possit in æternum. Deo autem immortalis, Creatori nostro maximo, Salvatori Optimo, Domino nostro JESU Christo, & Sanctissimo Regeneratori, cui & pro hoc præstito auxilio gratias immortales perfolvo, sit omnis laus, honor & gloria

in omnem

AETERNITATEM.



1717  
1717

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly mirrored across the page.

11  
ue







Ka 6048<sup>a</sup>

VD 18


ULB Halle  
006 762 131


3



Kr 9 127







10. 20 In Nomine JESU, E. 17. num. 2.

# TRACTATIO JURIDICA,


DE EO,  
QUOD CIRCA DEMORTUOS, EORUN-  
DEMQUE SEPULTURAM JURIS EST, QUO-  
RUMQUE CADAVERA PRORSUS OMNI SEPULTURA  
PRIVANTUR.

P. 380,

Ex genuinis Legum Fontibus,  
nec non  
Autoribus in Praxi probatissimis collecta atque  
conscripta

Ha 60489

a  
JOHANNE FRIDERICO ORTH,  
Heilbronnensi.  
Anno Christi MDCLXI.



STANNIS ALLINGERIANIS.

19. 3. 06.

